T. T. KROON



QUAESTIONES CATULLIANAE.

QUAESTIONES CATULLIANAE.

TYPIS FRATERS VAN ASPEREN VAN DER VELDE.

SPECIMEN LITTERARIUM,

EXHIBENS

QUAESTIONES CATULLIANAS,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HIDDONIS HALBERTSMA JUSTI FIL.

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT. ET IN FAC. MED. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

In Academia Lugduno-Batava

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

TAMMO TAMMERUS KROON,

ZUTPHANIENSIS,

DIE XXVIII M. MAII A. MDCCCLXIV, HORA II—III,

IN AUDITORIO MAJORE.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD S. C. VAN DOESBURGH,

MDCCCLXIV.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

ET

PIAE

FRATRIS UNICI

IMMATURA MORTE CORREPTI

MEMORIAE

SACRUM.

ARGUMENTUM.

PRAEFATIO.

Quum ante hos duos annos facultas Litterarum Humaniorum et Philosophiae Theoreticae in Academia Groningana ad certamen litterarium quaestionem proposuisset de Catulli vita, ingenio, poesi, statim ea quaestio mihi valde arrisit. Antequam tamen ad opus me adcingerem, meis ipsius viribus diffidens, nec, quid humeri valerent, quid ferre recusarent satis perspectum habens, optimum virum HULLEMANNUM *adii, ut me in hac mentis dubitatione bono consilio adjuvaret. Qui me, tunc forte per feriarum tempus Leida absentem dulcissimo epistolio confirmavit et admonuit, ut propositum susciperem laborem.*

Jam tum se breviorem, quam in animo habebat, ad me epistolam mittere, propter minus prosperam valetudinem, qua utebatur, scribebat.

Leidam reverso mihi statim opera et consilio adfuit. Libros, quos ipse et multos et bonos habebat, mihi suppeditavit; rationem mihi indicavit, qua alios conquirere possem.

At mox vires ei defuerunt: diro enim morbo laborans, quamdiu potuit, omni virium intentione muneris Academici officia exsecutus est, donec, quum in eo esset ut ad corporis valetudinem

restituendam peregre abiret, mors eum in aedibus paternis e nostro sustulit medio.

Quam Te deploravimus, Optime Vir, quam moesti adstitimus, quum tuae reliquiae tumulo condebantur. Perfecisti enim, quod pollicitus eras. Comes et dux studiorum, amicus, patris instar nobis fuisti. Tua memoria numquam apud eos delebitur, qui tuam doctrinam cum indefessa benevolentia conjunctam disciputi experti sunt. Pio recolent animo benefacta tua et te sibi exemplo proponentes monumentum Tibi condent, aere, non perennius, sed Tibi gratius et acceptius.

Quantopere HULLEMANNUS *gaudium mecum participasset, quum Facultas Groningana benigno admodum judicio laborem meum praemio non indignum censuerit, At hoc non fuit in fatis. Solum, quod mihi restat, hoc est, ut palam profitear, me, nisi* HULLEMANNUS *me ad opus suscipiendum incitasset et prima dubitantis vestigia in rectam viam duxisset, opus aut non perfecturum fuisse, aut ita, ut successu careret.*

Quo tamen etiam caruisset, nisi benignum admodum et mite de meo juvenili labore tulisset Facultas Groningana judicium.

Debitas igitur refero gratias Viris Clarissimis, qui ita de mea commentatione judicaverunt, ut," si quid deesset, suppleverit "aetas et si qua dicta essent juveniliter, pro indole sint accepta."

Imprimis vero maximas debeo habeoque gratias Viro Clarissimo FRANCKEN, *qui, quum et ipse auctor quaestionis esset, mecum plurima de ea communicavit, accurateque, et comiter tamen indicavit, quid hic illic in meo labore bene scriptum esset, quid multis aliis locis deesset. Et deinde quoque optimis mihi adfuit consiliis. Nam quum in eo essem, ut ad Specimen Academicum componendum me adcingerem, mihi petenti praeclaris juvit consiliis, de iis*

quas potissimum mihi tractandas sumerem quaestiones Catullianas.

Jam opus aggrediebar, quum me ad se vocavit Gymnasium Harlemense. Quo facto otium mihi defuit, ut ea, quae in animo habebam, perficerem et tamen omnia suadebant et postulabant, ut intra breve admodum tempus summos in nostra disciplina peterem honores.

Tunc promotorem adii aestumatissimum, Virum Cl. COBET, *quo probante quasdam Commentationis meae partes, quae disjungi poterant et per se erant absolutae collegi, iisque Quaestionum Catullianarum titulum inscripsi.*

Et hac praefandi facultate uti mihi liceat, ut debito suavissimoque officio perfungar, Tibi, Vir Clarissime, Promotor Aestumatissime, gratias agendi pro variis beneficiis, quibus Tibi me devinctum sentio. Tuas praedicare laudes et doctrinam Tuam ad coelum tollere non hujus loci esse opinor. At palam et nunc profiteor et semper profitebor, me eo imprimis Te ducem habuisse studiorum, quod discipulis Tuis sanam indicare soles methodum et ipsos investigare jubes, nec cujusquam auctoritati quidquam credere in ea disciplina, in qua Tu regnare optimo jure tam saepe dictus es. Jam accipe gratias. tum pro praeclara institutione, qua per sex annos uti et frui mihi licuit, tum, quod promotoris munus lubentissime suscepisti et mihi temporis angustiis impedito strenua et festinanti opera adfuisti.

Neque Vos mihi estis praetereundi, Viri Clarissimi, quos ceteros in variis disciplinis in hac Academia habui praeceptores. Non Vos singulatim compellabo, Vestraque singulorum singulorum erga me merita praedicabo. Quae enim tot tantaque fuerunt, ut sic justo longior evaderet praefatio. Hoc tantum affirmare volo, Vos omnes et praeclara Vestra institutione

et humanitate Vestra et exemplo Vestro ita me informasse, ut, si quid umquam in ulla disciplina aut in ullo munere obeundo, valebo, me id imprimis Vobis debere.

Sunt inter Vos, qui me in familiaritatem et domum suam receperint. Quibus quantopere me devinctum sentiam, optime declaravero, antiquo illo commemorato proverbio, quo is dicitur omne tulisse punctum, qui utili miscuerit dulce.

Diu Vos omnes servet incolumes Deus Optimus Maximus et Vestris auspiciis floreat et crescat Academia Lugduno-Batava!

Denique postremum Vos alloquor Commilitones Carissimi! Quod quum facio hoc laeto et diu exspectato die, graviter animus commovetur et acerba mentem subit cogitatio, dulcissimum vitae spatium jamjam praeteriisse. Quam saepe, ut apud Catullum est, "suaviter lusimus otiosi", vita fruentes Academica, quae tam beata erat, quia semper curis soluti eramus, quo nihil esse beatius idem poeta praedicat. Non opus est, me vobis promittere, mihi semper hujus temporis memoriam fore jucundissimam. Moesto enim animo vos valere jubeo, ea omnia mente recolens, quae aut Studiis aut Amicitiae operam dantes una peregimus. Valete igitur, valete, nec amici qui Vestri numquam obliviscetur, estote immemores.

QUAESTIONES CATULLIANAE.

CAPUT PRIMUM.

DE PRAENOMINE CATULLI.

De praenomine poetae controversia est, multumque viri docti disputaverunt, utrum Caji an Quinti nomine appellatus sit. Qui perhibuerunt Caji nomen ei fuisse, Apulejum testem citarunt et Hieronymum. Quorum auctoritate nixus Vossius non dubitavit affirmare, male rem gessisse Josephum Scaliger, qui auctoritate codicis cujusdam Cujaciani permotus, et ut conjecturam, qua in carmine 67 [1] corruptam admodum lectionem emendare conatus esset, confirmaret, in sua editione Quinti praenomen poetae dedisset.

Plurimi, qui postea Catullum ediderunt cum Vossio fecerunt, donec nostris temporibus Lachmannus, qui in tot tantisque rebus fere is fuit, qui Catullum longis a finibus

---

[1] Vs. 12.

in lucem revocaverit, e codicibus Datano, Riccardianoque et, teste Johanne Harduino ex plerisque codicibus Plinii Historiae Naturalis [1] Quinti praenomen restituit, quem Hauptius ceterique fere omnes, qui postea de Catullo scripserunt, secuti sunt. [2] Accedit, quod codices Laurentii Santenii et San Germanensis, quibus viri docti summam in constituenda Catulli carminum lectione auctoritatem tribuunt, omittunt praenomen, dum Datanus, qui pari cum his pollet auctoritate Quinti praenomen exhibet. Fides bonorum codicum, quorum nullus Caji praenomen praebet non extenuari posse mihi videtur Apuleji [3] et Hieronymi [4] testimoniis, neque veteri lapide, quem apud Malvasiam ad Marmora Felsinea memorat à Monte Leone, p. 305.

Quod ad illos auctores attinet, similem saltem habet veri speciem, si credas eos in praenomine errasse, aut culpa librariorum in eorum operum apographis vitiatum esse genuinum Quintum, ac si putes librarios, qui Catulli poemata transscripserint, Cajum in Quintum mutasse. Inscriptio autem, de qua diximus haec est:

---

[1] Ad XXXVII, 6.

[2] Silligius quoque, qui in editione (uti et Döringius in utraque sua) Cajum scripserat, fatetur in Jahnii Annal. Philol. et Paedag. XIII (anni 1830), p. 283 sibi a Lachmanno hac in re persuasum esse. De Plinii codicibus addit Parisienses 6801, 6802, 6803, 6804 Quinti praenomen habere, dum 6805, 6806 et Codex Vindobonensis praenomen omittunt, uti etiam factum est in omnibus Catulli codicibus, quos usque ad eum annum inspexerat Silligius. Codex Reg. II lapsu calami habet *Cal.* Catulli pro *Val.* Catulli.

[3] In Apolog. cap. X, p. 465 ed. Hildeb.

[4] Ad n°. 1930.

D. M.
I P S I T H I L L A E.
D U L C I S S I M A E.
C. V A L E R I U S.
C A T U L L U S.
M O E R E N S. P.

Desumta est ex Auctario Monumentorum quod "Veronae" eruditissimi Panuini, studio illustrissimorum virorum Jo. Baptistae Lisciae et Cozzae de Cozzis adjectum est, ibique legitur inter alia marmora, "jam denato Panuino" eruta. Qua inscriptione fretus vir doctissimus à Monte Leone in epistola, quam ad Malvasiam misit, haec exclamat: "Quid, si vidisset Scaliger? adeo, ne ex versiculo "allato [1] eos amplius, qui illi Cajo praenomen faciunt coe- "gisset sententiam suam mutare? Germanum est marmor "et Catullianum praefert non tantum genium, sed etiam "genitale Poetae solum, utpote Veronense, ab ipsomet Ca- "tullo amasiae suae defunctae dicatum, respondetque ad "amussim epigrammati, quod de eadem vivente cecinerat "et adhuc sic legitur:

"Amabo mea dulcis Ipsithilla;
Meae deliciae, mei lepores." cet.

"Integrum non exscribo, quia illius obscoenitatibus inquinari calamus renuit."

Sed id ipsum, quod virum doctum incitavit, ut non

[1] Catull. c. LXVII, 12.

integrum carmen exscriberet, mihi suspicionem movet, illam inscriptionem non flocci esse aestimandam et posterioris aevi artifici misero cuidam esse tribuendam. E solo enim carmine, quod inter Catulliana de Ipsithilla legitur, luce clarius patet eam fuisse miserum scortıllum, quocum poeta semel iterumque fortasse amores exercuerit. Non diis manibus puellae, cui ausus est Catullus epistolam mittere, quae hujusmodi versus continet (non enim renuit studium veri exscribere hos versus, omni obscoenitate inquinatos):

"Sed domi maneas paresque nobis
"Novem continuas fututiones,
"Verum si quid ages statim jubeto:
"Nam pransus jaceo et satur supinus
"Pertundo tunicamque palliumque."

moerens facile lapidem posuerit.[1] Praeterea illud ipsum, quod iisdem nominibus "dulcem" et "lepores suos" in lapide illo puellam nominavit fictus ille Catullus, atque in carmine poeta, auget suspicionem. Ut magnus numerus inscriptionum, ita haec quoque suppositicia videtur, confecta ab artifice quodam, qui Catulli carmina legit et dilexit, aut a falsario, qui fingendo vetustioris aevi monumenta aliquid lucri se adepturum speravit. Magnopere hoc laetor, quod, qui nuperrime de Catullo librum edidit, quamquam aliam de Catulli praenomine profert opinionem, Schwabius[2]

---

[1] C. 22, vs. 7, sqq.

[2] G. Valeri Catulli liber Ludov. Schwabius recognovit et enarravit I, 1. p. 22.

mecum censuit, eam ex Catulli carmine, supra allato pueriliter esse confictam. Hujus igitur lapidis nullam ad praenomen Caji confirmandum esse auctoritatem statuimus. Ipse lapis et hodie Veronae exstat.

Quem modo laudavimus, Schwabius [1] longa disputatione conatus est Gaji praenomen defendere et ita rem expedivit, ut primum argumenta, quibus Quinti praenomen nititur, refutaret, deinde probaret falsum praenomen poetae datum esse, quia a plerisque confundatur cum Q. Catulo poeta, denique argumenta proferret, quibus nititur Gaji praenomen. Tria proposuit argumenta, quibus adductus est, ut Quinti praenomen rejiceret.

Hoc enim nititur auctoritate Codicum Cujaciani, Datani, Riccardiani, et omnium Plinii codicum. Ut Cujaciani auctoritatem infirmaret, attulit aetatem codicis quippe qui descriptus sit anno 1469. Attamen necesse est ex antiquiore libro descriptus sit, quem admodum verisimile est idem illud exhibuisse praenomen Quinti. Datanum et Riccardianum ex uno eodemque fonte fluxisse, multis utrique codici lectionibus propriis demonstravit Schwabius. At ea disputatione me judice firmavit, non refutavit praenominis Quinti auctoritatem. Licet enim multa propria et communia codices Datanus et Riccardianus habeant, nimis inter sese differunt, quam ut alterum ex altero esse descriptum opinari possis. Quid igitur? Ex uno eodemque antiquiore fonte fluxerunt, qui Quinti praenomen exhibebat. Sic quoque redarguisse mihi videor Schwabium perhibentem, interpolatione uberrime pullulante in inscriptione codicum Catullianorum, illud

[1] Libri laudati pp. 5—24.

"Q" in codicem Datanum irrepsisse. Nam quî, quaeso, fieri potuisset, ut in duos codices, quorum non alter ex altero descriptus sit, plane eadem irreperet interpolatio cujus nulla adest idonea causa?

Alterum, quod Schwabius monuit, persaepe Q. Catulum poetam et Catullum inter se confundi, lubenter concedo neque contra tot tantaque testimonia, quae Schwabius attulit, pugnare licet, sed quid hoc ad Catulli praenomen? Nemo ignorat Catulum poetam Quintum esse vocatum, sed ut inde conjici possit, Quinti praenomen ad Catullum a Catulo esse translatum, Gaji praenomen argumentis et testibus firmatum et stabilitum esse debebat, quibus obloqui nequit. Non tamen ita res sese habet. Certe duo locupletissimi auctores ita poetam nominaverunt, in nullo eorum operum codice lectio variatur, sed ut Schwabii exemplum sequar, hi duo testes ad unum referendi sunt. Alter enim, Apulejus, ut ipse Schwabius profitetur, in praenomibus citandis negligentior fuit. Ergo ubi controversia est diimenda, non audiendus est, nulla est auctoritate. Sic tota Gaji praenominis fides in Hieronymo sita est. Qui quamvis in multis fide dignus est, tamen ut Catulli annum fatalem eum non accurate adnotasse mox demonstrabimus, sic in praenomine ejusdem poetae vereor, ut ejus auctoritas anteponenda sit fidei codicum.

Nullus enim est codex, et hoc probe tenendum est, qui Caji praenomen praebeat. Pauci tantum praenomen addidere, sed hi unanimi consensu poetam Quintum dixerunt. Qui codices, quamquam ipsi quidem non ad antiquissima tempora referendi sunt, fontem tamen habent venerandae vetustatis. Sed ut ad illud redeam, quod Vossius quoque

et Schurzfleisch ad Schol. Juven. VIII, 186 perhibuerunt, Quinti praenomen inde originem ducere, quod Quintum Lutatium Catulum, cujus fragmenta apud Gellium exstant, eundem esse crediderunt ac nostrum; multo magis, opinor, *Catullus* eo tempore, quo Catullianorum carminum apographa confecta esse constat, quam *Catulus* omnibus notus erat. Quod idem valet de Quinto Catullo Urbicario, Martialis aequali. Ipse Schurzfleisch l. l. fatetur in A. Gellii et in Macrobii codicibus quibusdam nostro poetae tribui Quinti praenomen, qua re novum huic nomini additur praesidium. Sed haec jam sufficiant. Satis ex his omnibus apparere credo Quinti nomen a Lachmanno jure longis a finibus esse revocatum.

CAPUT ALTERUM.

DE CATULLI AETATE.

Quintus igitur Valerius Catullus, si credimus Hieronymo, natus est anno 667 U. C. (87 ante Chr. n.). Ad numerum enim 1930 hoc scribit: "*C. Valerius Catullus, scriptor lyricus, Veronae nascitur*" et deinde ad annum 1960 (i. e. U. C. 697, ante Chr. n. 57): "*Catullus vicesimo aetatis anno Romae moritur.*" In antiqua vita Catulli, quae primum legitur in editione anni 1472, poeta dicitur natus esse Olympiade CLXI, uno anno ante natum Sallustium. In Olympiadis numero librarium errasse et pro CLXIII[a] CLXXIII[am] ponendam esse, per se apparet. Sic haec pulchre conveniunt cum iis, quae tradidit Hieronymus. Sed tamen haec omnia non mendis libera sunt. In mortis anno constituendo "errasse Hieronymum, dudum animadverterunt grammatici," Hauptius ait [1], "nec potest ea

---

[1] Quaest. Catull. p. 13.

de re ulla esse dubitatio, cum carmine LII Catullus consulatum Vatinii commemoret:

Quid est, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet,
Per consulatum pejerat Vatinius:
Quid est, Catulle, quid moraris emori?"

Ex fastis autem consularibus apparet anno 706 U. C. C. Julium Caesarem iterum dictatorem, M. Antonium, magistrum equitum dictos esse, post quam dictaturam consules eodem anno creati sunt Q. Fufius Calenus et P. Vatinius, quocum conveniunt quae scribit Dio Cassius [1]: "ταῦτα ἐν ἐκείνῳ τῷ ἔτει, ἐν ᾧ δικτάτωρ μὲν ὄντως αὐτὸς τὸ δεύτερον ἦρξεν, ὕπατοι δὲ ἐπ' ἐξόδῳ ἀποδειχθέντες ὅ τε Καλῆνος καὶ ὁ Οὐατίνιος ἐλέγοντο εἶναι, ἐποίησεν. Quia autem Catullus horum alterius consulatum commemorat, necesse est (sic viri docti et inter eos Hauptius ratiocinati sunt) vixerit exeunte anno 706, nec mortuus esse potest eo anno, quo tradidit Hieronymus.

Diversas de vera poetae aetate sententias multi viri docti proposuere. Primus Josephus Scaliger [2] secundum Hieronymum et antiquam vitam, Catullum natum esse censens anno 667, demonstrare conatus est, eum mortuum esse post annum 736 U. C. quo C. Furnio, C. Junio Silano Coss. ludi Augusti seculares facti sunt. [3] Quod multis argumentis probare conatus est, quae hic enumerare lubet, quia sic simul nonnulla attingere necesse erit, quae recentiores ad interpretationem Catulli carminum contulerunt.

---

[1] L. XLII, c. 55.

[2] Animadv. in Eusebium p. 155.

[3] Cf. Haupt, Q. C. p. 14.

1°. Dicit non fieri potuisse, ut Catullus anno 697 diem obierit supremum, quia Caesar eum coenae adhibuit, postquam poeta in eum famosa composuit epigrammata et stigmata ei inussit perpetua carmine:

"Quis hoc potest videre, quis potest pati?"[1]

In quo carmine Britanniarum mentio fit, quas invasit Caesar "numero 1962" i. e. anno U. C. 699.

2°. Vergilio jam florenti notus et familiaris fuit Catullus, uti patet e Martialis epigrammate ad Silium Italicum[2]:

"Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni."

Quod perperam a multis ita accipi perhibet Scaliger, quasi Martialis haec exempli gratia finxisset neque re vera Catulli aequalis Vergilius fuisset.

3°. Anno U. C. 707 Caesar triumphos quatuor egit, quos commemorat Catullus, quum Ponticam et Ibericam praedam ex Tago nominat: hoc est triumphum de victoria Mundensi.[3]

4°. Anno 708 U. C. Caesar ex Scto imperator dictus est, quod se vivo factum esse testatur Catullus, quum Caesarem imperatorem dicit unicum.[4]

5°. Cornelius Nepos sub Augusto scriptitasse videtur,

---

[1] C. 29. cf. Suet. Caes. 73.
[2] Mart. Epig. IV, 14 vs. 13 sq.
[3] Cf. c. 29.
[4] C. 29.

cui Catullus libellum suum dedicavit, et cujus Chronicorum meminit.

6°. Catullus ludos Augusti seculares vidit, quod perspicuum est ex ejus carmine seculari. Quare enim carmen seculare scripsisset, nisi in annum ludorum secularium incidisset?

Huic argumentationi ipse Scaliger fatetur obstare videri, quod Cornelius Nepos, qui familiaris fuit Catullo, affirmat poetam ante Atticum (mortuum anno U. C. 721) obiisse, nam quum narrat Atticum L. Julio Calidio equiti in Antonii proscriptionibus salutis auctorem fuisse de Calidio addit: "quem post Lucretii Catullique mortem multo elegantissimum poetam nostram tulisse aetatem vere videor posse contendere". [1] Quod a nonnullis ita acceptum est, quasi Catullus ante Atticum mortuus esset. Sed jure Scaliger demonstravit Nepotem, qui viderit illos ludos seculares et aliquot annos illi tempori superstes fuit, hoc sibi voluisse: "nunc, quum scribo Attici jam diu mortui vitam, Catullo quoque mortuo, vere mihi videor affirmare posse nostram aetatem meliorem poetam Calidio non tulisse"

Attamen inter haec Scaligeri argumenta unum tantum est, quod non facile et plane redargui possit. Id solum enim, quod de Caesaris in Britanniam expeditione dixit, iam probat, ut videbimus, Hieronymum in Catulli anno fatali errasse.

Jam Petrus Baelius [2], et Hauptius [3] demonstrarunt a recta via virum doctissimum longe aberrasse.

---

[1] Nep. in vita Att. 12,4.

[2] Dictionnaire Historique et Critique, art. Catulle.

[3] Q. C. p. 18 sqq.

1°. Quod de invasione Caesaris in Britanniam Catullus mentionem injecit: Caesar primam in Britanniam expeditionem fecit anno 698, alteram ineunte vere anni 699. Verisimile est inter primam et alteram expeditionem Catullum c. 29 scripsisse, quum in eo (qua de re infra) Caesarem et Pompejum socerum generumque dicat; quum autem in eo esset Caesar, ut inde in Galliam rediret, nuntius ei allatus est de morte Juliae. Quid igitur Scaligeri argumento probatur? Catullum non quidem mortuum esse anno 697, vixit enim exeunte 698; sed huic anno poetam superstitem fuisse inde colligi non potest.

2°. Etiamsi Martialis re vera putavit Catullum fuisse aequalem et familiarem Vergilii, nihil tamen inde sequitur. Nam optime fieri potuit, ut Martialis, qui poetas Caesaris et Augusti temporum, eius aetatis, quae aurea dicitur Latinae poeseos, et, ut ex ipsa rei natura patet, fines non potest habere certos et determinatos, conjunctim nominatos acceperit, et inde perverse Catullum aequalem et familiarem fuisse Vergilii crediderit, aut, quod mihi verisimilius videtur, Martialis haec dicere voluit: "Magna profecto audacia est, quod ego, nugarum poeta, tibi, Sili, qui epicum carmen condidisti magnum, hercle, et sublime, ausus sum mea mittere carmina, sed excusare meam audaciam possum; fortasse enim jam olim Catullus, ut ego, nugarum poeta, quem imitari studeo, suum passerem (sua carmina) ad summum poetam epicum Vergilium, quem tu aemulari conaris, mittere ausus est. — Additum vocabulum "forsan" plane ostendit minime affirmasse Martialem, poetas, quos nominavit familiares fuisse.

3°. Catullus *non* meminit de triumphis, quos Caesar

habuit anno 708 quatuor. Nam jam Vossius [1] recte perspexit ridiculum esse praedam Ibericam "quam scit amnis aurifer Tagus" ita intelligere, quasi victoriam Mundensem significet, quia Munda plus quam ducentis passuum millibus a Tago flumine absit. Sine dubio eam respicit poeta praedam, quam Caesar reportavit anno 693 in bello Lusitanico L. Afranio, Q. Caecilio Metello coss., postquam ex praetura urbana in Hispaniam ulteriorem profectus est, quum diu retardatus esset a creditoribus. Praedam Ponticam Scaliger intellexit relatam de victo Pharnace, quod Vossius perquam absurdum esse dicit. Ipse putat lucrum et emolumentum intelligi, quod e Bithynia ex contubernio M. Thermi praetoris et familiaritate Nicomedis retulit. Haec autem prima fuit Caesaris militia, quam fecit annis 672 et 673. Quia, ut infra demonstrabimus, carmen 29 scriptum sit necesse est ante mortem Juliae, fieri non potest, ut Scaliger verum invenerit. Sed neque quae Vossius docuit, melius sese habere videntur. Recte enim Hauptius [2] monuit *Ponticam*, non *Bithynicam* hanc praedam vocari, neque praedam illud emolumentum dici posse, praeterea nimium temporis intervallum esse interjectum inter hanc praedam anni 673 et illam Ibericam anni 693, quam ut uno eodemque Catulli versu commemorari potuerint. Nihil autem impedit, quominus verum sit, quod ipse Hauptius opinatus est, praeda Pontica illas significari divitias, quas Pompejus ex bello Mithridatico reportavit et magnificentissimo triumpho anno U. C. 692 populo monstravit.

---

[1] In Catull. p. 73.

[2] Q. C. p. 18. Obversatur tamen Mommsenus. R. G. III. p 318 in Nota, qui cum Vossio facit.

4°. Catullus Caesarem unicum imperatorem dixit, cujus nominis honorem ex Scto anno demum 708 accepit. Non obloquor, sed ipse Scaliger fatetur, se scire "imperatorem" pro "eximio" posse accipi neque pertendentibus adversaturum. Si quidem reliqua ejus argumenta non sufficiunt, hoc nihil probari potest. Melior explicatio videtur Scaligeri, "unicum" eximium esse interpretantis, quam Petri Baelii, qui eo vocabulo hoc indicari existimat, Caesarem solum fuisse imperatorem, qui in Britanniam penetraverit.

5°. Catullus Chronicorum Nepotis, qui sub Augusto floruit mentionem. Verum est. Sed aliud est florere aliud opus in lucem edere, neque de tempore, quo Nepos Chronica scripsit quidquam constat.

Denique 6°. ex carmine Catulli seculari patere putat Scaliger, eum ludos anni 736 saeculares spectasse. Sed carmen 34 non est carmen saeculare [1] et ea de caussa non necesse est cum Vossio credamus ludos saeculares habitos esse anno 700 aut 704, quod nullo antiquorum scriptorum testimonio confirmatur, contra redarguitur fastis Consularibus ad annum 736 et Dionis Cassii, Censorinique testimoniis, qui ambo hoc anno ludos esse celebratos tradiderunt. Neque probabilis est Bealii opinio, cui Catullus videtur carmen saeculare composuisse, opinatus, fore ut ludi anno 704 celebrarentur, uti celebrati erant anno 604. Nihil est, unde efficere possimus, Catullum tam studiosum fuisse antiquitatis Romanae, ut talis rei notitiam habuerit, neque apparet, praeter nonnullorum spem et opinionem tam diu post annum statutum ludos habitos esse.

---

[1] Schwabe l. l. p. 34: "ne verbum quidem ibi de seculo legitur."

Quae cum ita sint, durum quidem sed verum Vossii judicium de Scaligeri disputatione videtur: "in qua nihil omnino est, quod non melius sit tacuisse; sane ne semel quidem scopum attigit."

Sed refutatio nostra eo nititur, quod posuimus: carmen 29 scriptum esse ante mortem Juliae et socero generoque poetam Caesarem Pompejumque indicasse. Quod ita sese habere luce clarius Hauptius demonstravit.[1] Fuere (et inter eos Vossius), qui putaverint ea verba sensu obscoeno de Caesare et Mamurra esse intelligenda.[2] Injuria tamen; non enim credere opus est, hoc loco Catullum a communi dicendi usu abiisse. Immo ab iis, quae in ipso reliquo carmine leguntur, abhorret Vossii explicatio. Quo enim pacto explicandus esset vs. 21: "quid hunc malum fovetis?" nisi de Caesare et Pompejo intellegas? Si autem socer generque Caesar Pompejusque sunt, fieri non potest, ut non ante mortem Juliae, igitur ante ortas quoque inimicitias inter socerum generumque hoc carmen confectum sit. Aperte enim Cicero testatur, post mortem uxoris, hujus patri non amplius soceri nomen esse: "ademit Albino soceri nomen mors filiae" ait (pro Sestio c. 3.), Q. Mucium dicit socerum *fuisse* L. Crassi (de Or. I, 7. 24.).[3] Poetae nonnumquam ab hac consuetudine recedunt; sic Vergilius hunc ipsum Pompejum post ortum bellum civile Caesaris generum dicit (Aen. 6, 828), sed nisi admodum gravis adsit caussa, non perfugium licet quaerere ad poeticam, quam dicunt, licentiam; "nunc," ut Hauptius dicit, "cum omnia clament scriptum esse hoc

---

[1] Q. C. p. 16.

[2] Vossius ad Cat. p. 75.

[3] Haupt. Q. C. l. l.

"carmen ante initium belli civilis, nulla cogitari posse videtur causa, quae permoverit Catullum, ut deflectens a "vulgari consuetudine, socerum generumque diceret Caesarem "et Pompejum post mortem Juliae."[1] (699.)

In Catulli carminibus igitur nulla alia vestigia inveniuntur, quae ostendunt, poetam post annum 697, quem Hieronymus tradidit, vixisse, nisi quod mentionem facit expeditionis Brittannicae (698), magnae ambulationis anno 699 a Pompejo conditae, judicii Vatiniani, (700) et consulatus Vatinii (706).

Quod cum Lachmannus secum reputaret et cum videret diserte ab Hieronymo, cujus ut Hauptius ait, rationes, etiam ubi in singulis annis erratum est, summam veritatis solent continere et quem verisimile est hanc narrationem transscripsisse ex Suetonii libro de Viris illustribus, esse traditum Catullum anno aetatis vicesimo obiisse, admodum ingeniosa conjectura rem difficilem expedire conatus est. Suspicatur enim Hieronymum duos confudisse consulatus, nempe Cn. Octavii Cn. f. et Cn. Octavii M. f., quorum ille anno 667, hic 676 consulatum gessit cum C. Scribonio C. f. Curione. Si autem natus sit Catullus anno 676, mortuus est anno 706 et omnia recte procedunt. Vidit expeditionem Britannicam, vidit consulatum Vatinii, nec tam diu vixit, ut jure mireris, eum non ab Ovidio commemoratum esse inter poetas, quorum in notitiam pervenire hic juvenis studuit, nec ut potius cum Vergilio, quam quod Nepos fecit, cum Lucretio, quod ad aetatem attinet, componendum esse eum diceres. Haec

---

[1] Q. C. p. 16.

omnia Lachmanni conjecturam admodum commendant, attamen et, quae hanc opinionem infirmant, audienda sunt. Sunt enim, qui contendant, eam non satis firmis fundamentis niti.

In libello, quod edidit anno 1857 vir doctissimus Jungclausen, tunc temporis subrectoris munere in schola Meldorfiana fungens, inscripto: "Zur Chronologie der Gedichte des Catulls" [1] tria proponit argumenta, quibus impugnat Lachmanni conjecturam:

1°. Si verum est carmen 52 de Vatinio non esse scriptum ante annum 706, nullum inter Catulli carmina reperitur, quod inter annos 699 et 706 scriptum esse apparet. Et hi quidem anni turbis pleni fuere, et unicuique recte secum de republica reputanti, magnae res majores pariturae esse videbantur; jam via sternebatur, qua Caesar eo veniret, ut imperator unicus suo arbitrio rempublicam ordinaret. Non fieri potest, ut his temporibus Catullus iambos suos reticuerit, etiamsi in gratiam cum Caesare rediisset, neque credendum est eam partem carminum Catulli totam periisse, reliqua fere omnia superesse.

2°. Si Catullus non ante annum 676 natus est, necesse est poeta viginti annos natus, non solum ingenii dotibus, sed et stupenda doctrina inter omnes excelluerit. Quo enim pacto alioqui carmina poetarum Alexandrinorum tam praeclaro modo vertere, quo pacto talia epithalamia, ad Graeca fortasse exempla imitata, conficere potuisset? Sunt inter ejus carmina, quae juvenis egregiis animi dotibus praeditus, cui Musae semper propitiae ades-

[1] P. 5, sq.

sent, divino igni afflatus, conficere posset, sed multa testantur longas lucubrationes, per quas poeta eam sibi doctrinae copiam paraverit, quae e. g. in carmine seculari (?) et elegia ad Manlium perspicitur. Jam si concedas, eum non ut Cinna nonum pressisse in annum carmina, neque tamen ut Hortensius stans pede in uno multa versuum millia scripsit.

3°. Videamus, quibuscum Catullus dulce amicitiae vel amoris vinculum conjunxerit. Cornelio Nepoti Carminum suorum libellum dedicavit, qui illa in Chronicis commemoraverat.[1] Hic autem aequalis fuit Attici[2]. Quae res suadere videtur, ut annum poetae nostri natalem ante annum 676 ponamus. Deinde cum Calvo componi solet Catullus, in eaque conjunctione semper prior nominatur, quod, quamquam est parvi monenti, tamen non omnino negligendum videtur; verisimile enim est hoc ideo factum esse, quod Catullus major natu esset. Calvus autem natus erat anno 673. Denique: Lesbia, quam Catullus amavit, a multis creditur fuisse Clodia, soror Ciceronis inimici; quae hypothesis si vera sit, fieri nequit, ut Catullus natus sit anno 676. Sic enim deperiisset juvenis duodeviginti annorum mulierem jam triginta et sex annos natam, quod quam absurdum sit, dicere non opus est. Eandem fere profiteri videtur opinionem Mommsenus, qui in annotatione ad p. 316 tom. 3. Hist. Rom. (ed 3ae) ait: "Die uns aufbehaltene Sammlung (Catullischer Ge-"dichte) ist voll von Beziehungen auf die Ereignisse der

---

[1] Carm. 1.

[2] Natus erat circa annum 90 ante Chr. n.

"J. 698 und 699 und ward ohne Zweifel in dem letzteren "bekannt gemacht; der jüngste Vorfall, dessen sie gedenkt, "ist der Prozesz des Vatinius (Aug. 699). Hieronymus An-"gabe dass Catullus 696/7 gestorben, braucht also nur um "wenige Jahre verschoben zu sein. Daraus, dass Vatinius " "bei seinem Consulat sich verschwört" hat man mit "Unrecht geschlossen, dass die Sammlung erst nach Vati-"nius Consulat (706) erschienen ist: es folgt daraus nur, "dass Vatinius, als sie erschien, schon darauf rechnen durfte "in einem bestimmten Jahre Consul zu werden, wozu er "bereits 699 alle Ursache hatte, denn sicher stand sein Name "mit auf der in Luca vereinbarten Candidatenliste. (Cic. ad "Att. IV, 8 b. 2.)"

Hae fere sunt virorum doctorum hac de re opiniones. Quarum ultima non dubito quin verissima sit, quippe quae talibus argumentis commendetur, quales aliam nullam confirmant. Cui enim Jungclausenus argumento primum concessit locum id non facile redargui posse credo. Qui enim recte e Catulli carminibus mores ejus et ingenium cognovit, non dubitabit statuere, fieri non potuisse, ut poeta, cui non solum quidquid scribere conabatur, versus erat, sed cujus animum ira aut amore commotum Musa ita jubebat loqui, ut tacere non posset, taceret, dum ultima libertatis pugna contra tyrannidem sub ejus oculis committebatur. Altero autem argumento nihil probari credo. Nam demonstrari, mea quidem opinione, non potest ea carmina, quae ex Alexandrinis poetis vertit vel ad eorum exempla imitatus est, non ad postremam Catulli vitae partem pertinere. De Calvo et Nepote recte disputatum videtur; de Lesbia postea uberius dicetur. Sed non omittenda sunt duo

Ciceronis loci quibus firmare potuisset Mommsenus opinionem, quam de Vatinii consulatu proposuit. Cicero enim in orationis in Vatinium cap. 5. init. haec dicit: "Quaesturam petisti cum "P. Sestio, quum hic nihil loqueretur, nisi quod agebat, "tu de altero consulatu gerendo te diceres cogitare" et ibid. in § 5ae fine: "Omniaque ea me pudenter vivendo "consecutum esse, quae tu impudenter vaticinando sperare "te saepe dixisti." Quos locos qui legerit, non dubitabit, opinor, quid illud, "per consulatum pejerat Vatinius," significet [1].

Ex omni hac disputatione patet igitur Catullum natum esse anno 667 et non diu post annum 700 diem obiisse supremum.

---

[1] Ita simul refutata sunt, quae disputavit Masson, Histoire Critique de la République des Lettres. V. 156. Laetor, quod Schwabius, cujus liber tunc demum, quum haec absolvissem mihi ad manum fuit in iisdem duobus locis firmamentum Mommseni opinionis invenit. Addidit scholiastae Bobiensis (p. 315 Or.) locum: "Ineptissimam Vatinii et paene furiosam .... consulatum "juraverit, qui primum sibi nec auderet optare. Hanc ergo vatici"nationem nominat: spem videlicet honoris, quasi per dementiam "cogitati."

CAPUT TERTIUM.

C. LICINIUS CALVUS.

Amicus quem Catullus habuit omnium carissimum fuit C. Licinius Calvus. In quem quo animo fuerit, quatuor testantur ipsius carmina (14, 50, 53, 96), et permulti antiquorum scriptorum loci, ubi Catullus et Calvus conjunctim nominantur. Sic Ovidius Am. III, 9. 61, mortem Tibulli deplorans, canit:

"Obvius huic venias, hedera juvenilia cinctus
Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo."

Sic idem Trist. II, 427.

"Sic sua lascivo cantata est saepe Catullo
Femina, cui falsum Lesbia nomen erat.
Nec contentus ea, multos vulgavit amores
In quibus ipse suum fassus adulterium est.
Par fuit exigui similisque licentia Calvi
Detexit variis qui sua furta modis."

Sic Propertius II, (III) 25, 3:

"Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve tua venia, pace Catulle tua."

et III, 33, 87 sq:

"Haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli
Lesbia quîs ipsa notior est Helena.
Haec etiam docti confessa est pagina Calvi
Cum caneret miserae funera Quintiliae."

Sic Horatius (Sat. I, 10, 19):

"Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.

Sic Plinius minor Ep. I, 16, 5, de Pompejo Saturnino dicens:

"Praeterea facit versus, quales Catullus aut Calvus,"

et Ep. IV, 27, 4, ubi poematium describit Sentii Agurini, cujus hi sunt versus:

"Canto carmina versibus minutis
his olim quibus et meus Catullus
et Calvus veteresque."

Sic denique Gellius XIX, 9:

"Ecquis nostrorum poetarum tam fluentes carminum delicias fecisset? nisi Catullus, inquiunt, forte pauca et Calvus itidem pauca."

Satis ex his omnibus apparet non tantum vinculo amicitiae Catullum cum Calvo fuisse conjunctum, sed etiam communi bonarum artium studio. Otiosi multum saepe luserunt et quum per jocum atque vinum alter versiculos scripsisset numero modo hoc modo illo, alter mutua reddidit. Quantopere se invicem diligerent, patet ex urbano et festivo lepore, quo Catullus amicum reprehendit c. 14,

quo eum ridet c. 53, sed magis etiam e pulcherrimo carmine 96, quo Quintiliae a Calvo amatae immaturam luget mortem. Idem poeseos genus tractasse videntur Calvus ac Catullus, iisdem enim laudibus honorantur, uno eodemque versu ab Horatio condemnantur. Et si ea colligimus, quae de Calvi poematis memoriae tradita sunt, si fragmenta inspicimus, quae hic illic sparsa jam diu a Viris Clarissimis conjunctim edita sunt [1], eundem animum ac Catulli carmina ea spirare apparet. Ut Catullus in c. 29 diris exprobrationibus in Caesarem invectus est, ita Suetonius [2] tradit Calvum cecinisse:

"Bithynia quidquid
Et paedicator Caesaris umquam habuit."

Nec minus uterque poeta Pompejum odio prosecutus est. Quod de Catullo jam vidimus. Calvi verba haec sunt, teste Seneca Rhetore: [3]

"digito caput uno
Scalpit; quid credas hunc sibi velle? Virum."

Ut Catullus, ita et Calvus hendecasyllabis carmina composuit, teste Asconio Pediano ad Orat. in toga candida contra c. Anton. et L. Catilin. competitores, p. 95. Orell. Uterque poeta malos poetas risit, quod de Calvo in Sardum Tigellium traditum est in Porphyr. et Schol. Cruq. ad Horat.

---

[1] H. Stephanus in Fragm. Poet. Vet. Latt. p. 410 sq., Almeloveen, in Opusculis p. 168, Weichert in "Poetarum Latinorum Reliquiae", p. 131. Lachmann in editione Catulli.

[2] Caes. 49.

[3] Controv. III, 19.

Sat. I. 3, vs. 3 [1]. Eligiaco metro Calvum carmen de morte Quintiliae suae composuisse e Propertii l. l. apparet, quod quum Catullus legisset, eum carmen 96 exarasse suspicatur Weichertus [2]. Calvi elegiae [3] unus tantum versus superesse videtur a Charisio, I. 78. ed. Putsch servatus:

"Forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis."

Quem versum Catullus respexisse videtur, quum carmen suum componeret. Ait enim:

"Certe non tanto mors immatura dolori est
Quintiliae, quantum gaudet amore tuo."

Ex Epithalamio Calvi quodam fragmentum affertur [4], ita ut videamus nullum fere esse carminum genus, quod non pari amicorum studio excultum sit, praeterquam quod Calvus narratur poema composuisse "Io" inscriptum, in quo epicum genus tractasse videtur. Quicum tamen, si exstaret, fortasse Catulli c. 64 componere liceret. Cicero Calvi Hipponacteam mordacitatem commemorat ad Div. VII, 24. 1, ubi de Tigellio scribit: "Id ego in lucris pono, "non ferre hominem pestilentiorem patria sua: eumque "addictum jam tum puto esse Calvi Licinii Hipponacteo "praeconio." Neque, uti jam diximus, Catullus in carminibus ab inimicis acriter perstringendis abstinuit.

Sed quamquam eodem ardore nobile par amicorum poesin amavit et tractavit, aliam vitae rationem Calvus ingressus est, aliam Catullus. Hic numquam rempublicam attigit, in otio

---

1 Cf. Weichert libri laudati p. 136.
2 P. 121.
3 Weichert p. 143. Unger de Valgo Rufo. p. 50.
4 Weichert. p. 143.

vitam degit, Veneri, amicis, optimisque artibus totum se dedens. In medias res se conjecit Calvus; pars fuit historiae sui temporis. Quin etiam, ut Weichertus ait [1], maximam vitae brevissimae partem in foro transegit, et otium tantum scribendis carminibus tribuisse videtur, ut fractum pugnaci et contentiosa actionum forensium oratione resumeret ingenii impetum, animusque remissioribus illis studiis recalesceret. In iis, quae de ejus vita publica tradita sunt, fere nihil non laudabile reperi. Assiduo studiorum labore mentem formavit ad ineundam illam, quam Weichertus dicit iniquissimam [2], litem de principatu eloquentiae cum M. Tullio Cicerone, quicum ob paternam necem non nisi simulatam amicitiam exercuisse videtur. Ut omnes corporis debilis vires studiis impendere posset, alligatis lumborum et renum parti laminis plumbeis, Veneris impetus cohibuisse dicitur [3], hac certe in re longe ab amico Catullo differens. Attamen, ut plerique omnes ejus temporis praestantissimi viri, immaturo fato correptus est, annos natus circiter triginta, "fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus sibi, non si quid detracturus fuit" [4]. In foro semper libere dixit, quid sentiret, sceleratumque Vatinium [5], olim a Cicerone quoque, quum surgeret testis in caussa Sestiana, omnium bonorum con-

---

[1] P. 129.

[2] P. 106.

[3] Plin. H. N. XXXIV, 50.

[4] Quintt. Inst. Or. X, 1, § 115.

[5] De hoc Vatinio Cicero ita dixit: "sic ego te, quamquam sis "omni diritate atque immanitate teterrimus, tamen dico esse odio "civitati non tam tuo, quam reipublicae nomine." in Vat. c. 3 in fine.

temtui traditum, accusavit, defendente eum eodem Cicerone, qui ea re gratiam sibi Caesaris conciliare studuit. Cujus orationis superest fragmentum, a Quintiliano[1] servatum, in quo eius vim dicendi perspicimus: "Non "ergo magis pecuniarum repetundarum, quam majesta"tis, neque majestatis magis, quam Plautiae legis, neque "Plautiae legis magis, quam ambitus, neque ambitus magis, "quam omnium judicia legum perierunt." Non igitur Calvus reformidabat in civitate pollentes lacessere sed, libere profitebatur, sibi liberam rempublicam videri periisse. Quamquam Vatinius per Ciceronem absolutus est, tamen Calvus nulla oratione, quam accusatione Vatiniana, majorem apud aequales videtur gloriam consecutus esse. Seneca enim rhetor tradit[2], eum tam vehementem ac violentum exstitisse accusatorem, ut Vatinius media in actione surgeret et exclamaret: "Rogo vos judices, num, si iste disertus sit, "ideo me damnari oportet?" Catullus quoque bis hanc caussam commemorat, primum in c. 14, ubi Calvo suo dicit, nisi eum plus oculis suis amaret, fore, ut eum odisset odio Vatiniano, quia in Saturnalium libertate dono sibi misisset malorum carmina multorum poetarum; deinde in c. 53, ubi narrat vel fingit, de parva amici jocans statura, quendam de plebe, quum mirificam illam in Vatinium orationem Calvus habuisset, dixisse admirantem manusque tollentem: "Di magni, *salaputium* disertum." (Quod vocabulum criticos jam diu torsit et, credo, torquebit.) Per paucos tantum annos (secundum Weichertum per quatuor

---

[1] Inst. Or. IX, 3, § 56. Cf. Weichert. p. 114.

[2] Controv. III, 19. p. 232. Bip.

vel quinque) in foro versatus est Calvus, donec supremum obiit diem [1].

De poetica ejus facultate jam audivimus Ovidium, Propertium, Plinium et cum laudatis poetis Gellium honorifice referentes. Universe poesis ejus apud aequales aeque ac Catulli grata et accepta fuit. De oratoria autem arte jam olim disputabant. Cicero in Bruti c. 81 et 82, § 280 et 283 haec de eo scribit: "Atque Calvus a magistris parum institutus na- "turam habuit admirabilem ad dicendum. Industriam non sum "expertus: studium certe fuit. Qui si me audire voluisset, "ut coeperat, honores, quam opes, consequi maluisset.... "Qui orator fuisset, quum litteris eruditior, quam Curio, "tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius "afferebat genus: quod, quamquam scienter eleganter- "que tractabat, nimium tamen inquirens in se atque ita "sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, et- "iam verum sanguinem deperdebat. Itaque ejus oratio "nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus "erat illustris: a multitudine autem et a foro, cui nata elo- "quentia est, devorabatur." — Quod tamen paullo inhumanius de aemulo Ciceronis judicium valde attenuatur iis, quae c. 81 § 279 praemisit et quae conveniunt cum Quintiliani loco [2] supra laudato; dicit enim de Calvo et Curione:

---

[1] Accuratius in annum natalem et in annum, quo obiit Calvus inquirere, non hujus loci est neque omnia, quae supersunt carminum et orationum fragmenta enumerare. Id enim tantum agimus, ut quam arcte cum Catullo conjunctus fuerit et quali ingenio cum Catulli pulchre conspirante, explicemus. Natus est 672 u. c., vixit usque ad annum circiter 704.

[2] Inst. Or. X, 1 § 115.

"qui si diutius vixissent, magnam essent eloquentiae lau-"dem consecuti." Eodem, quem citavimus, loco Quintilianus de Calvo ait: "imitator est Atticorum" neque hoc in judicio Ciceronis ponderando praetereundum est. Lippis enim et tonsoribus notum est, Ciceronis eloquentiae ab altera parte Hortensii facundiam oppositam fuisse, cujus oratio, quae Asiatica dicebatur, nimis erat grandiloqua, nimisque ornata, ab altera autem, tenue illud et subtile dicendi genus, Atticorum imitatoribus usitatum, qui Lysiam potissimum sequebantur. Quorum hos in Oratore ad Brutum, qui ipse quodammodo eorum numero erat adscriptus, carpit et levi ironia ridet [1]. Sed utut est, eo Quintiliani testimonio patet, Calvum Graecos legisse scriptores, et non solum oratores sed, si respicias communia cum amico Catullo studia, legit poetas quoque, utrosque imitatus est, unde aequales eum, tunc temporis honorificentissimo docti cognomine honoraverunt. Sed, ut hunc locum absolvamus, reliqua antiquorum de Calvi oratoria facultate judicia fere ad idem redeunt. "Calvus rixatur" Fronto ait. [2] "Com-"positio quoque ejus in actionibus ad exemplum Demosthe-"nis riget, nihil in illa placidum, nihil lene est, omnia "et concitata et fluctuantia" [3], ait Seneca Rhetor, qui addit tam vehementem fuisse Calvum accusatorem, ut in actionibus excederet subsellia et impetu elatus usque in adversariorum partes transcurreret et, quum C. Catonem,

---

[1] Vide potissimum capp. 8. 9.

[2] Cf. p. 171 ed. Maji.

[3] l. 1.

ab Asinio Pollione de tribunatu postulatum, defenderet, adeo eum animo exarsisse, ut quia parvulus statura esset, imponi se supra cippum juberet, juraturus, si quam injuriam Cato Pollioni, accusatori suo fecisset, se in eum juraturum calumniam. Denique testis surgat auctor Dialogi de oratoribus, qui c. 18 queritur, nimis Calvum, sed etiam Ciceronem ipsum antiquos oratores Romanos, horridos et impolitos et rudes et informes imitatos esse; eodem capite Ciceronis judicium de Calvo, oratore exsangui et attrito, commemorat sed contra testatur, Calvo Ciceronem solutum et enervem visum esse. Minus Calvo favent, quae tradit c. 21: "Ipse mihi Calvus, cum unum et viginti, ut puto, libros "reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satisfacit, nec "dissentire ceteros ab hoc meo judicio video. Quotus enim "quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit? at hercle in "hominum studiosorum manibus versantur accusationes, "quae in Vatinium inscribuntur ac praecipue secunda ex his "oratio: est enim verbis ornata et sententiis, auribus judi"cum accomodata: ut scias Calvum intellexisse, quid me"lius esset, nec voluntatem ei, quin sublimius et cultius "diceret, sed ingenium ac vires defuisse." Cap. 25 Calvum idem adstrictorem dicit. Quae quum ita sint, certe si ad normam Ciceronis eloquentiae Calvi dejudicatur, longe illo hic cedere videtur; sed si eum cum ceteris, quantopere judicare licet, sui temporis oratoribus comparamus, merito, credo, apparebit eum multis anteponi et, nisi juvenili fere aetate infausto fato esset correptus, praeclara, quae ei natura, teste Cicerone [1], dederat dona, ita ad maturitatem perve-

---

[1] Brut 81, 280, cui injuria obloqui videtur Auctor Dial. c. 21.

nisse, ut majorem etiam ad posteros eloquentiae gloriam transmisisset. Séd haec de Calvo sufficiant. De Catullo enim scribere institui et si in Calvi dotibus describendis nimius fui, ipse Catullus mihi veniam petat, qui amicum plus oculis suis amavit.

CAPUT QUARTUM.

DE CATULLO IMITATORE ALEXANDRINORUM DEQUE DIVERSIS POESEOS EJUS GENERIBUS.

In Catulli ingenio dijudicando neque quae antiquiores, neque quae recentiores de ea re monuerunt praetermittenda sunt. Distinguendum est etiam inter varia poeseos genera, quibus operam dedit. Duo tamen praemittenda videntur: primum, Catullum numquam Maecenatem habuisse sed sine patrono, i. e. libere, nullius auctoritate impeditum in carminibus elocutum esse, quid sentiret; deinde: numquam eum reipublicae partem ipsum tetigisse, at semper in otio vixisse, amori, amicitiae, studiis deditum. Quum enim neque a principibus civitatis, neque a populo quidquam impetrare vellet, neutrorum benevolentiam captaret, nihil impediebat, quominus opinionem suam de omnibus rebus libere et palam profiteretur.

Neque nulla ratio habenda est temporis, quo vixit Catullus.

Cujus imaginem rectissime Helbigii [1] verba exprimere videntur: "eine Zeit, in welcher theils die alte Kraft des "specifisch römischen Wesens im politischen Kampfe egoïs- "tischer Parteien und in sittlicher Verwilderung selbstsüch- "tiger Individuen nach und nach aufzehrte, theils in der "regen, wissenschaftlichen Beschäftigung mit der griechischen "Philosophie und Poesie sich ein fremdes Element geltend "machte, dessen Entwickelung auf dem fremden Boden zu- "nächst vorzugsweise für die praktischen Disciplinen benutzt "wurde, bald aber durch die Vernichtung der Frechheit in "diesen Kreisen gehemmt, in einer Poesie zur Vollendung kam, "wie sie nur ein zwar immer noch inhaltreiches, aber doch "sehr abgeschwächtes Geistesleben zu erzeugen vermochte."

Neque Catullus is erat, qui umquam patronum ferre potuisset, quales isti Augustei aevi poetae solebant. Natus enim est iis temporibus, quibus in eo erat, ut ultimum de libertate certamen iniretur, in ea regione, ubi cives, ut Mommseni verbis utar: "den mächtigen Gedanken der "bürgerlichen Freiheit noch frisch und rein empfanden, "noch fähig waren für Ideale zu fechten und zu ster- "ben." [2] Ortus erat loco non obscuro, ita ut summorum virorum consuetudine uti ei liceret, familia non pauperi ita ut, si non dives, non tamen aliorum ope indigeret [3]. At si talis libertatis amor, qualis in Catullo

---

[1] Deutsche Jahrbücher für Wissenschaft und Kunst, 1er Jahrgang (1842) nis 304 et 305.

[2] R. G. III. 356.

[3] Niebuhr, Vorträge über Röm. Geschichte, ed. Isler III. p. 138: "Bei Catull dagegen rührt die Ungebundenheit seiner Laune von "der Unabhängigkeit im Vermögen her, sein Vater musz ein der

in paucis tantum ejus aequalibus erat; contra alia fuerunt, in quibus poeta prorsus tempori suo cederet. Non enim similis erat priscorum illorum Romanorum, bonae frugi virorum, castitate, parsimonia, severitate insignium, quos, quamquam multis de causis non, ut saepe factum est, ad coelum tollendos nemo certe admirari desinet, Romanorum, inquam, quorum imaginem Catulli tempore referre studuit et nonnumquam retulit Cato. Catullus voluptatibus deditus erat, nec uti proavi, qui eo usque reipublicae inservire parati erant, ut matrimonia inirent liberorum justorum procreandorum caussa, caste cum casta uxore vitam degit, sed vagos exercuit amores, neque tanto melior aequalibus fuit, ut adulteriis abstineret.

Si verum est, quod verum esse equidem credo, uniuscuiusque aetatis indolem optime in litteris conspici, hanc ultimam liberae Romanae reipublicae aetatem sine ullo mentis animique vigore fuisse, ex litterarum genere, quod in ea imprimis florebat, facile, opinor, colligi potest. Doctrina enim in ingenii locum substituta erat. Perraro accidit eo tempore, ut poeta naturae cedens impulsui, animi motus carminibus exprimeret, perpauca tunc carmina ex imo poetarum pectore profluxerunt, at plerique multorum poetarum versus labore, diligentia, vigiliis effingebantur. Sic Catulli amicus C. Helvius Cinna novem per annos elaboravit poema haud ita magnum, at multiplici et varia doctrina refertum; Horatius, quamquam ipse non semper, et recte quidem, id consilium secutus, non ita diu post suasit, ut quodcunque carmen nonum

---

"angesehensten Männer der Provinz gewesen sein, er war ein Gastfreund Cäsars."

in annum in arca premeretur; sic ipse Catullus tempori, non necessitati, cedens nonnulla composuit carmina, quae non tam animi ac mentis vigoris, quam assiduorum studiorum et magnae doctrinae uberrimum ferunt testimonium.

At non tantum in corruptis moribus harum in litteris novarum rerum causa quaerenda videtur. Jam inde ab ortu litterae Latinae quodammodo a Graecis pendebant. Nam si eos excipias, quorum carmina olim Fauni vatesque canebant, quum neque Musarum scopulos quisquam superarat, nec dicti studiosus erat, jam multis ante Catonem seculis in epulis cantitata, [1] sed quae jam antiquitas perdita deplorabat, nullus fuit poeta Latinus, qui non quodammodo a Graecis pependerit. Si initium literarum Latinarum spectes, de quibus certa quaedam fama ad nos pervenit, Cicero, ipse valde antiquos auctores admiratus, tibi dicet: "Sic enim sese res "habet. Nam et Odyssea Latina est sic, tamquam opus "aliquod Daedali et Livianae fabulae, non satis dignae, "quae iterum legantur" [2]. Perfectiores autem, Ennius, Pacuvius et qui cum eo tragoedias et comoedias conscripsere, Attius, Naevius, deinde Plautus et Terentius, quid? — nonne omnes Graeca secuti sunt exempla? Certe, sed hoc fecerunt more Romano, i. e., quamquam imitati sunt opera Graeca, ipsi Latina condiderunt carmina, in quibus animus populi Latini, seu potius Romani spirabat, et, quod magni hac in re videtur momenti, imitati sunt exempla quae conscripta fuerant, quum in Graecia libera litterae florerent, aut quae redolerent amorem libertatis, qui non-

---

[1] Cic. Brut. 18 § 71, 19 § 75.

[2] Cic. Brut. 18 § 71.

dum cum ipsa libertate periisset. Nec post Menandrum qui vixerit, facile scriptorem Graecum invenies, quem illi antiqui Romanorum poetae exemplo sibi sumserunt. At id fiebat libera republica quum esset aliquid civem Romanum esse, iisque esse adscriptum, qui latum exercebant imperium in dies auctum. Tunc qui non civis Romanus optimo jure erat, eodem modo civibus opponebatur, ut barbari olim Graecis.

At omnia Romae lapsu temporis mutata sunt. Libertas Graecorum jam olim manu regum Macedonum perierat, quum Romani, qui primum speciem αὐτονομίας cujusdam ei populo donaverant, a quo litteras suas accepissent, ipsi intellexerunt, adeo a majoribus Graecos degenerasse, ut se ipsi regere non amplius possent, ultimumque libertatis vestigium sustulerunt. Sed eodem ipso tempore Romae luxuries semper crescebat, et in diem discrimen augebatur inter divites, qui nimis, et inopes, qui nihil possidebant. Quo factum, ut libera respublica Romana, quae tot saecula duraverat, non amplius consistere posset. In paucorum manus ea potestas transiit, quae antea penes omnes fuerat, civitas Romana inane nomen facta est; jam ita plebs depravari coepit, ut fere nil nisi panem et Circenses desideraret.

At simul urbs Roma multos excepit peregrinos, imprimis Graecos seu potius Graeculos, qui suum cultum, suam doctrinam ad Romanos transtulerunt. Non erat genus istud majoribus simile, qui eximio quodam ingenii cultu insignes, neminem, qui non suae stirpis esset, eum humanitatis gradum umquam obtinere posse credebant; at per magnam orbis terrarum partem Graeculi erraverant, in barbarorum regionibus consederant, denique κοσμοπολῖται facti erant,

in quibus populi sui indoles perierat. Et inter eos litterae floruerunt quidem, sed quid aliud fieri potuit, quam ut vita carerent, quam ut ars in naturae locum substitueretur, quam ut illae litterae ita comparatae essent, ut jure a posteris nomine: "Treibhauspoesie" designarentur?

Talis igitur fuit litterarum conditio apud Graeculos, quibuscum Romani Catulli temporis consuetudinem habere solebant. Divinus ille spiritus, qui Homerum et aureae Graecarum litterarum aetatis poetas, historicos, oratores affaverat, perierat; at doctrina, quae longis vigiliis, quae dies noctesque illos antiquos auctores legendo, ita tamen ut non ex iis rectum pulchri sensum, sed stupendam antiquitatis notitiam studiosi illi poetae sibi compararent, ea doctrina tunc florebat, ars tamen quae tam natura, quam vita carebat.

Et apud ipsos quoque ejus temporis Romanos naturalis indoles perierat. Libertas, boni mores, amor patriae fere apud solos majores reperiebantur; non patriae inservire, sed sui ipsius ambitioni unusquisque studebat, non reipublicae Romanae, sed sui ipsius gloriam augere summum erat, quod spectabant eorum posteri, qui vitam non perditam duxerant, si pro patria perirent. Romanum igitur quoque ingenium, Romanorum peculiaris indoles evanuerat; idonei erant, qui discipuli fierent istorum Graecorum κοσμοπολιτῶν, quique novum illorum cultum, novam doctrinam, novas litteras acciperent.

Hujus temporis, hujus litterarum conditionis initium vidit Catullus, qui partim ad antiquiora, partim ad recentiora pertinuit tempora. "In Catullus zeigt sich die hin-"sinkende in ihren tiefsten Fugen aufgelöste Republik, "nur leise noch angehaucht von der Pest des späten

"Sittenverderbnisses, und frei von aristocratischem Zwan-"ge"[1]. Sed nemo prorsus extra tempus suum vivere potest, nemo prorsus aequalibus esse dissimilis. Catullus, quamquam multa habebat, quae Romanorum priscorum referebant imaginem, tamen in multis aliis, ut jam diximus, tempori suo cessit, qua re non fieri potuit, quin ipse in id quoque litterarum genus incumberet, quod tunc imprimis florebat, quin sibi eam doctrinam comparare studeret, quae summum in poeta tunc judicabatur.

Et quod obtinere studuit, obtinuit quoque. Laudes *docti* Catulli non ab uno tantum veterum scriptorum ad posteros delatae sunt. Sic Tibullus ad c. LXIV respiciens scripsit[2]:

"sic cecinit pro te *doctus*, Minoi, Catullus,
ingrati referens inpia facta viri."

Sic Ovidius[3], ubi Tibulli mortem flebili elegia, cui "ah "nimis ex vero nunc nomen est" deploravit:

"Obvius huic venias, hedera juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, *docte* Catulle tuo."

---

[1] Paldamus, Römische Erotik. p. 29.

[2] Lib. III, 6, vs. 41. Male Broukhusius ad hunc Tibulli locum Prop. II (III) 34, vs. 87 ita mutare voluit, ut scriberetur:

"Haec etiam *docti* cantarunt scripta Catulli
Lesbia quîs ipsa notior est Helena.
Haec quoque lascivi confessa est pagina Calvi
Cum caneret miserae funera Quinctiliae."

Calvus, in orationibus Atticorum imitator, qui praeterea carmina composuit satis docta hercle et laboriosa, certe aequalium opinione, docti nomen non indignus fuit. cf. Weichert. Reliqq. poet. Lat. p. 121 not. 27.

[3] Am. III, 9 vs. 61.

Sic ter Martialis:

a, ubi quem quaeque urbs habuerit clarum poetam enumerat, ita scribit [1]:

"Verona *docti* syllabas amat vatis"

b. ubi Crispinum rogat, ut se Caesari commendet [2]:

"Dicere de nobis, ut lector candidus, aude:
Temporibus praestat non nihil iste tuis,
Nec Marso nimium minor est *docto*que Catullo.
Hoc satis est: ipsi cetera mando deo."

c. ubi describit, quomodo inclarescant poetae de amores suos canendo [3]:

"Cynthia te vatem fecit, lascive Properti,
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat,
Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli
Lesbia dictavit, *docte* Catulle, tibi."

Primum diligenter inquirendum esse opinor, quam virtutem illo cognomine carminibus Catulli antiqui tribuerint, deinde dijudicandum, quid nos de ea virtute censere oporteat. Barthius longa argumentatione demonstrare conatus est, *doctum* idem significare atque lascivum, obscoenum [4]. Multos enim perhibet vetustiores quoque fuisse, qui "eo "laborarent, ut Graecorum myrothecia compilarent ad comen-"dam ornandamque Palladem Latinam, quorum tamen nemo "tali perpetuo et velut hereditario per multa secula titulus "legitur quali Catullus." In alia igitur re caussam esse

---

[1] Mart. Epigr. I, 61, 1.

[2] Mart. Epigr. VII, 99 vs. 4.

[3] Mart. Epigr. VIII, 73 vs. 5.

[4] Adversaria LII, 15.

quaerendam hujus cognominis vir Doctus arbitratur. "Scripsit autem nemo nudius quam noster de rebus nequam et "Venereis, sed scripsit diligentia et stili puritate, ita ut "longe ab eo absint omnes ceteri, pari genere delicias, ut "ipsis videbatur, facientes." "Talem," ait, "autem inaccessam in rebus minime puris puritatem, emendatissimum et "politissimum quoque in naturali elegantia dicendi genus, "cum incomparabili inventionum vernilitate et translationum "proprietate, *docti* huic scriptori titulum dedit." Ad quam opinionem firmandam nonnulla attulit exempla. Vetus laudat epigramma, quod sic sese habet:

"Hic jacet exignis Dionysia flebilis annis
Extremum tenui, quae pede rupit iter.
Cujus in octava Lascivia surgere messe
Coeperat et dulces fingere Nequitias.
Quod si longa tuae mansissent tempora vitae
Doctior in terris nulla puella foret."

Deinde plures adscribit, qui apud Plautum leguntur, locos: "*docti homines*, *doctae fallaciae*," pro: "*homines* "*dolosi*, *astuti*." Quae exempla nullo modo probant, quod Barthius probare studuit. In puella octenni non cogitandum esse de obscoenitate, si de nequitia et de lascivia sermo sit, unusquisque ultro intelligit. Et Forcellini lexicon i. v. *lascivia* inspicienti statim apparebit saepe hoc vocabulum de rebus, in quibus nulla inest obscoenitas, a quibus longe Venus abest, usurpari. Quod ad Plauti locos attinet, idem lexicon in voce "*doctus*" inspiciamus. Plura exempla allata sunt, unde patet saepe "*doctus*" significare: "*prudens*, *callidus*, *catus*" quod non comparari potest cum eo sensu, quo nostro cognomen *docti* dari

Barthius demonstrare conatus est. Sed "universe *doctus* dicitur in sua quisque arte peritus."

Ex hac significatione Catulli cognomen explicandum esse opinor. Poeta *doctus* debet poematum componendorum esse peritus. Quid hoc significaverit eo tempore, quo Catullus vixit, ex iis, quae supra dicta sunt, luce clarius apparet. Qui non tantum Graecis litteris, sed et doctrina Alexandrina imbutus, studia, doctrinam, vigilias, impenderet ad apte et scite carmina pangenda, e quibus haec omnia apparerent, is artis suae peritus erat. Sic Calvus ob "Io" *doctus* dictus est; sic sine dubio Helvium Cinnam aequales et amici ob "Smyrnam" hoc cognomine honoraverunt; sic denique Catullus *doctus* vocatus est, quia Graecos, imprimis Alexandrinum Callimachum sibi exemplo proposuisset, e. g. quum elegiam Callimachi Hortalo amico mitteret [1]. Praeterea ipse testatur se in animo habuisse Gellio [2], quem sibi lenire studuit, "carmina mittere Battiadae."

Docti igitur cognomen non immerito ex aequalium opinione Catullo datum esse, ex his omnibus satis apparet. Imbutus erat ingenio isto Alexandrino, quod vigilias spirabat et longas lucubrationes. Romani autem, qui Catulli tempore vivebant, stupendam illam doctrinam, quae, e. g. in carmine 66 elucet, admirabantur et magni faciebant, nec, qui post Catullum poetae in litteris Latinis exstiterunt, se studiis illis reconditis carere posse crediderunt.

Verumtamen poeseos naturam ita deleri et carmina componi, quae non carminum nomine digna sunt, tam ex iis apparet, quae ipse Catullus ad exemplum Alexandrinorum

---

[1] Cf. c. 65, quod scripsit quum ad Hortalum c. 66 mitteret.

[2] Cf. c. 116.

scripsit, quam ex ipsis operibus, quae ex officina illa Alexandrina ad nostram aetatem pervenerunt. Qui enim optima et pulcherrima monumenta Graecarum et Romanarum litterarum cognovit et intellexit, deliramenta et nugas, quorum Alexandrinorum carmina plena sunt, non potest non contemnere [1].

Sed bonum factum, quod jure nostro contendere possumus, non tale fuisse Catulli ingenium, ut se illa doctrina obrui pateretur et ita naturam vere poeticam pessumdaret. Potius temporibus hoc tribuendum videtur. Verissima sunt, quae de ea re scripsit Helbigius. [2] "Ja auch "der, welcher in sich einen Fonds zu eigenthümlicher, poe-"tischer Gestaltung hatte, muszte von dieser glänzenden "Erscheinung (die fremdartige Alexandrinische Poesie) um "so mehr geblendet werden, je weniger er bei der Sub-"jectivität seiner lyrischen Erzeugnisse auf die allgemeine "Anerkennung rechnen konnte, welche ihm entweder durch "satirische Gedichte oder zunächst durch das Studium und "die Nachbildung der begünstigten objectiven Kunstpoesie "zu Theil wurde."

Ipse Catullus fortasse inter aequales plurimum celebratus est ob docta illa carmina, quae ex alieno solo in patriam transferre conaretur. Caussa contra, quae effecit, ut propitia Minerva poetae precibus [3] adnuerit et ejus libellum plus uno fecerit perenne seculo haec mihi esse videtur, quod in plerisque carminibus, libere, quid sentiret,

---

[1] Cff. quae de ea re monuit Cl. Cobetus in Mnemosyne X, p. 391.

[2] Deutsche Jahrbücher, l. l.

[3] Cf. c. 1.

elocutus sit. Sensit amorem Lesbiae, sensit odium Caesaris eorumque, qui cum eo reipublicae Romanae libertatem everterent. Ubi Acmen dulci amore Septimio suo conjunctam depingit, ubi passeris, quem dilexerat amata puella, mortem deplorat, ubi Calvum de immaturo dilectae Quinctiliae obitu consolatur, ubi Manlio amico deprecatur, ut felix sit conjuge fideli et caris liberis, dulcissimis illis versibus:

"Torquatus volo parvulus
"Matris e gremio suae
"Porrigens teneras manus,
"Dulce rideat ad patrem
"Semihiante labello."

in his omnibus Catullus ipse sensit, quae scripsit, non studuit, ut aliena sibi propria redderet. Non carmina composuit, nisi urgente animo et oblata occasione. Hoc enim quoque perspiciendum et probe tenendum, nullum fere esse inter Catulli carmina minora, quod non certa oblata occasione ad certam quandam personam scriptum sit. Sic enim facilius intelligitur poetam versibus expressisse quid quoque tempore sentiret, nec animi affectum a se alienum finxisse [1].

Nec dulces tantum illos animi affectus carminibus expressit, non solum amores amicitiasque celebravit, sed truces quoque vibravit iambos in inimicos, qui aut ejus in

---

[1] Non possum, quin hic adscribam Piersoni notratis verba de lyrica poeseos peculiari indole, quae optime in Catulliana quoque carmina quadrant: "Er zijn twee soorten van poesie, de dramatische en de "lyrische... De lyrische dichter toch vindt zijne waarde in de vol- "strekte subjectiviteit van zijne opvattingen, oordeelen en beschou- "wingen." (Wetenschappelijke Bladen, 1861, p. 66 der Boekaankondigingen.)

litteris laudes detrectare conarentur, aut qui amatam puellam a se abalienassent; ira exarsit in potentes illos viros, quos liberam rempublicam pessumdare videbat, nec uno tantum carmine cinaedo Romulo perpetua inussit stigmata. Haec quoque, quamquam nonnumquam exprobationes continent, quas aut non meruerant ii, in quos eas conjecit, aut quas omnino melius fuerat tacuisse, ad optima poetae carmina mihi pertinere videntur, hac sola de caussa, quod non alienam materiam in iis sibi assumpsit, sed ea exprompsit, quae ipse in intimo pectore recondita habebat. Hac enim sola ratione fieri potest, ut carminis materia et modus, quo poeta eam ornaverit, inter se conveniant. Huic enim carminum generi non tantum pertinent omnia, quae scripsit ad puellam, quam non dilexit

"Ut vulgus amicam,
Sed pater ut gnatos diligit et generos"[1],

sed ea quoque omnia, quae Mommsenus lepidissime descripsit[2], quum diceret in iis contineri "die solideste Kleinma-"lerei gebildeter Geselligkeit, die anmuthigen oft sehr un-"genirten Mädchenabentheuer, davon das halbe Vergnügen "im Ausschwatzen und Poetisiren der Liebesgeheimnisse "besteht, das liebe Leben der Jugend bei vollen Bechern "und leeren Beuteln, die Reise und die Dichterlust, die "römische und öfter noch die veronesische Stadtanecdote "und der launige Scherz im vertrauten Zirkel der Freunde."

Sed haec jam sufficiant. Hoc indicare voluimus, aliquid

[1] Cf. c. 72.

[2] R. G. III, 584. (ed. 3a.)

interesse inter ea Catulli carmina, in quibus Alexandrinorum opera docta hercle et laboriosa imitatus est et poemata, quae suam ipsius indolem secutus, composuit. Quorum haec, nostra quidem opinione, fere sola effecerunt, ut plerorumque [1] recentiorum judicum sententia

---

[1] Inter quos Niebuhrium et Leutschium citare lubet. Quorum hic ita scripsit (Gött. Gel. Anz. 1855, n°. 197): "*Catullus omnium poe-* "*tarum Latinorum optimus*, d. i. dasz bei keinem Dichter der innere "Trieb, das Bedürfnisz zum Dichten so kräftig und stark hervor- "getreten, da Catull offenbar nicht eher ruhig ward, als, bis er "das, was ihn ergriffen, in schönen Versen ausgesprochen hatte, "dasz ferner wenigstens in einer Gattung der Poesie kein Latei- "ner die Lehren der Theorie und die Muster aus früherer Zeit "mit der eignen Anlage so zu vereinigen vermocht, dass er einer- "seits eine so ganz selbständige und originelle, andrerseits eine so kunstvoll-griechische Poesie, wie Catull, hatte schaffen kön- "nen." Niebuhrius vero ita de Catullo judicavit: "Eigentlich war "jetzt das Zeitalter der Dichter. Zeitgenossen, der eine etwas "jünger, der andere etwas älter waren Lucretius, Catullus, Cal- "vus, dem Catullus gleich stand, die gröszten Dichter der dama- "ligen Zeit..... *Der gröszte Dichter aber, den Rom gehabt ist Ca-* "*tullus*: er sucht nicht die Worte, nicht die Formen, die Poesie "strömt aus ihm heraus; sie ist ihm dieselbe Sprache, derselbe Aus- "druck, den das Bedürfnisz hervorbringt; jeder Gedanke, jedes "Wort bei ihm ist Ausdruck des natürlichen Gefühls. Er hat ganz "dieselbe Vollkommenheit, wie die griechischen lyrischen Dichter, "bis auf Sophocles, und er steht ihnen gleich." (Vorträge über "alte Geschichte, ed. Isler III, 348).

Quam eandem fere opinionem Mommsenus expressisse videtur, quum ita scriberet: "Die Latinische Nation hat keinen zweiten "Dichter hervorgebracht, in dem der künstlerische Gehalt und die "künstlerische Form in so gleichmäsziger Vollendung wieder er- "scheinen, wie bei Catullus und in diesem Sinne ist Catullus' Ge-

poetarum Latinorum omnium optimus celebratus sit.

"dichtsammlung allerdings *das volkommenste, was die lateinische Poesie "überhaupt aufzuweisen vermag.*" (R. G. III, 585.)

Per se patet nos non id egisse, ut judicium omnibus numeris absolutum de Catulli ingenio ferremus. Sic enim attendendum fuisset 1°. ad aetatem, qua poeta pleraque omnia scripsit (paene adolescens mortuus est) ; 2°. ad lasciviae et petulantiae vulgaris in verbis imitationem, qua fit ut subinde res satis innocentes, verbis obscoenis declaret. Alicujus momenti hic sunt ipsius poetae verba: "nam "castum esse decet pium poetam ipsum, versiculos nihil necesse est." Fuit Catullus, quod non dubito, homo satis dissolutus, idem fidus amicis, in dando et commodando liberalis, sed eo ipso fraudi opportunus et qui facile Lesbiae, dolosae et impiae mulieris laqueis irretiri se pateretur. In omni lascivia et petulantia tamen coniugialis amoris felicitatem ex vero aestimabat, ut v. g. Epithalamium Manlii egregie docet. — Haec omnia non omittenda fuissent; nunc vero id tantum egimus ut, duo esse Catullianae genera poeseos et, cur ita poetae nostri carmina inter sese diversa sint, doceremus.

CAPUT QUINTUM.

DE CARMINE LXVI.

Qualis fuerit Alexandrina illa poesis, de qua in superiore capite egimus, optime intelligitur ex Carmine LXVI, quod ipse Catullus testatur se e Callimacho in patrium sermonem convertisse. A vetustioribus fere omnibus summis laudibus extollitur, ita tamen ut doleant periisse ipsius Callimachi elegiam, quia hac temporis calamitate "non fieri possit, ut "Graeca cum Latinis componamus, inspiciamus non in "singulis modo vocibus, sed in figuris etiam luminibus-"que orationis, in ipsa ratione numerorum ac denique in "tota structura poematis, quam apte et scienter Graeci "poetae, in hoc genere inter suos facile primi, vim ac "leporem Latinorum Poetarum sine controversia politissimus "assecutus fuisset" [1]. Et certe dolendum est, mirum illud

---

[1] Muretus ad Catull. LXVI, 1.

doctrinae Alexandrinae specimen non aetatem tulisse, sed bene de nobis actum censeamus, quod exstat Catulli versio Latina. In qua ipsa loquitur Berenices Coma, Veneri dicata ob salvum mariti Ptolemaei III Euergetae ex bello Syriaco reditum. Multa apud veteres auctores hac de re commemorantur. Quorum testimonia collecta sunt a Valckenario, qui Eratosthenem, Hyginum, Achillem Tatium, Hesychium, duos in Aratea carmina scholiastas et Proclum laudat, quippe qui aut de ipso sidere, cui Berenices comae nomen est, aut de Conone, qui de ea re fabulam excogitavit, aut de Callimacho, a quo reginae coma in sidus mutata "ἐν ἐλεγείᾳ ἀπεθεώθη", scripserint [1]. Uberrimus de ea re testis esse videtur Hyginus, cujus verba haec sunt [2]: "Sunt VII stellae ad caudam Leonis in triangulo "collectae, quas crinem Berenices esse Conon Samius "Mathematicus et Callimachus dicit; cum Ptolemaeus Bere-"nicen, Ptolemaei et Arsinoes filiam, sororem suam, duxisset "uxorem, et paucis post diebus Asiam oppugnatum pro-"fectus esset, vovisse Berenicen, si victor Ptolemaeus "rediisset, se detonsuram crinem; quo voto damnatam "crinem in Veneris Arsinoës Zephyritidis posuisse templo, "eumque postero die non comparuisse, quod factum cum "Rex aegre ferret, Conon Mathematicus, cupiens inire gratiam "Regis, dixit crinem inter sidera videri collocatum, et "quasdam vacuas a figura septem stellas ostendit, quas "esse fingeret crinem." Cuius narrationis parti inter nostrates

---

1 Callimachi elegiarum fragm. etc. collecta atque illustrata a L. C. Valckenaer, ed. J. Luzac, p. 35—45.

2 Astron. Poet. L. II. C. XXIV in Leone.

oblocutus est Vir Clarissimus Bosscha [1], qui contendit Berenicen uxorem tantum, non sororem quoque Ptolemaei Euergetae fuisse. Rem ita proposuit: "Fuit illa non Ptole-"maei II vel Philadelphi sed Magae, Cyrenaicae regis et "Arsinoes filia, a patre desponsata Ptolemaei fratris quocum "diu bellaverat, filio, ut sic certaminum finis esset. Sed "post Magae mortem Arsinoe mater, qua invita sponsio "erat facta, clam misit ad Demetrium, Demetrii Poliorcetae "filium, ut cum filia regno Cyrenaico potiretur. Venit De-"metrius et matri magis, quam filiae placere studens, "superbia sua militum ac populi animos ita a se alienavit, "ut conjuratione inita percussores immitterentur in conclave, "ubi cum Arsinoe cubabat. Hujus conjurationis conscia "quoque fuit Berenice, quae stans ad fores praecipiebat, "ut matri parceretur, sic salva pietate matris stupra "ulciscens et in matrimonio sortiendo patris judicium secuta." Cf. Justinus XXVI, 3. Quod factum Callimachus et Catullus nostro carmine celebrant vs. 27 sq:

"Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Conjugium, quo non fortius ausit alis?"

Hanc opinionem jam ante professus erat Uglo Foscolo in Italica de hac elegia dissertatione, cujus epitome legitur in editione Catulli, quam curavit vir Cl. Naudet, inde a pag. 605 [2]. Ipse poeta, quod et Foscolo indicavit, in eo Justino adversari videtur, quod Coma Ptolemaeum fratrem dicit Berenices vs. 22. Quam rem jam olim notavit Wes-

---

[1] Tentamen Criticum in constituendo et exponendo poemate Callimachi Catulliano, scr. P. Bosscha. p. 4.

[2] Cf. ibi p. 612.

selingius ad Simsoni chronicon, opinatus tamen e Catullo Hyginum narrationem suam deprompsisse, et addit: "nisi "Catullus Callimachum vertisset, paene dicerem amatoria-"rum blanditiarum hîc signum esse, non cognationis, "*fratris* verbum" [1]. Sed, ut recte Bosscha observavit, ob hoc ipsum, quod Catullus vertit Callimachum, *frater* h. l. non potuit a poeta vulgari usurpari significatione. Abunde enim ex Justini uberrimo testimonio patet, non fuisse Berenices fratrem Ptolemaeum. Sed jam Foscolo recte annotavit, apud doctum Ovidium *fratrem* pro *fratre patrueli* usurpari. Id doctum quoque fecisse Catullum haud incredibile est. Quod ipsum jam in Forcellini lexico legitur, i. v. *frater*, qui exemplo a Foscolo allato addidit id, quod Cl. Bosscha adscripsit ex Ovid. Metam. XIII, 31, ubi Ajax se Achillis fratrem appellat. Melius hunc vocabuli sensum, a vulgari usu prorsus alienum, Callimacheo carmini convenire, quam eum de quibus deinde multa disputavit Cl. Bosscha (p. 7 sq), opinatus partim blandimenti gratia ita dictum esse Ptolemaeum, facile intelligitur.

Cetera, quae Hygini verbis de nostrae elegiae argumento traduntur, a probabilibus testibus, (quos si vis, vide apud Valckenaerium) confirmantur. Et sic jam ad ipsam elegiam dijudicandum transire liceret, nisi alia Hyginus de Berenice tradidisset, quibus praetermissis, simul occasio amitteretur commemorandi ingeniosissimam Hauptii conjecturam, cujus fundamentum ex ipso Catullo desumpsit. Addidit enim eodem

[1] In annot. ad p. 1174 (non ut Bosscha scripsit 1194) ad annum 3759. Ea ipsa pagina Simsonus narrat expeditionem Ptolemaei, de qua in Catulli elegia sermo est, jam indicatam esse a Daniele, C. XI!

loco, quem supra laudavimus haec Hyginus [1]: "Hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere, et ad "Olympia mittere consuetam fuisse. Alii dicunt hoc amplius, "Ptolemaeum Berenices patrem, multitudine hostium perterritum, fuga salutem petiisse; filiam autem, saepe consuetam, insiluisse in equum, et reliquam exercitus copiam "constituisse, et complures hostium interfecisse, reliquos "in fugam conjecisse; pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit. Eratosthenes autem dicit, et virginibus Lesbiis dotem, quam cuique relictam a parente nemo solveret, "jussisse reddi, et inter eas constituisse petitionem." Jam Valckenaerio haec omnia mira et a recentiore grammatico aliquo Hygini narrationi adjuncta videbantur. A prioribus enim haec separavit, et confessus est, se quid de illis Lesbiacis virginibus esset dicendum, nescire, nisi quod referenda essent ad ea, quae in scholiis Arateorum Germanici leguntur p. 114 ed. Morelli [2]. Quae quid significent nemo est, qui cognoverit. De reliquis autem ita disputavit Valckenaerius ut probaret, hic intelligendam esse Diagorae Rhodii filiam, Καλλιπάτειραν dictam, quia non tantum pugilis nobilissimi esset filia, sed etiam postea Φερενίκην, quia victorum Olympicorum filia, soror et mater esset. (Φερενίκη autem forma est Macedonica, qua uti solebant dialecto Alexandrini pro Βερενίκη.) Haec sola mulier fuit, cui spectare ludos licuit Olympiae gym-

[1] Cf. apud Valcken. p. 36, sqq. Haupt Q. C. p. 82, sqq.

[2] Ipse Valckenaerius locum attulit p. 43, Haupt. p. 83: "Videntur "aliae stellae obscurae septem juxta caudam ejus (Leonis), quae "vocantur crines Berenices et sunt earum virginum, quae Lesbi "perierunt."

nicos. Sed jam recte Hauptius observavit hanc Pherenicen ludos tantum spectasse, non tamen equos ad Olympia mittere consuetam fuisse. Nil igitur haec omnia, quae vir Clarissimus protulit, faciunt ad rem. Sed ipsum Catulli carmen faciliorem praebere interpretationem recte Hauptius vidit. Ibi enim legimus hos versus multum certe tempore vexatos [1].

"Abjunctae paullo ante comae mea fata sorores
"Lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
"Unigena impellens nictantibus aëra pennis
"Obtulit Arsinoes Locridos ales equus."

Olim autem in ultimo versu scriptum fuisse "*alis equos*" uti nunc etiam in codice Laurentiano legitur, admodum verisimile est. Quod cum grammatici non intelligerent, opinati sunt Berenicen equos aluisse, et ingeniosa certe conjectura visa est, id reginam fecisse, ut in Olympiis praemia reportaret ludis.

Sed jam satis de Berenice, Catullus nos ad se revocat. Supra autem ex Hygini narratione argumentum elegiae cognovimus et hoc ipsum argumentum non potest nobis non admodum mirum et a nostra cogitandi ratione prorsus alienum videri. Sed id ipsum erat, quod Callimachus, quod Alexandrini, quod deinde Romani, qui eos imitabantur, sectabantur, nova atque inaudita, novo quoque atque inaudito modo proferre. Nec laude hoc studium caruit, neque apud aequales, neque apud posteros. Jam vidimus, quantopere ab aequalibus *doctus* poeta noster celebratus sit. Posteriorum interpretum pauca adscribemus testimonia, ut inde pateat, quantopere iis quoque doctrina Catulliana placeret.

[1] Vs. 51 sqq.

Mureti de ea re verba jam supra laudavimus. Janus Douza fil. initio capitis VIII ad Catullum notarum haec profert: "Extat inter alia Catulli opuscula pulcher-"rimum sane Poemation de Coma Berenices, ex Calli-"macho expressum, cujus Graeca Elegia si non eadem "cum reliquis ejus plerisque omnibus scriptis injuriam tem-"poris passa fuisset, vehementer conferret ad efformanda "judicia atque animos nostros iis legibus, quae nos docent "quomodo adumbranda ac transferenda sint Graeca, quod "ex parte tamen faciunt haec ἀποσπασμάτια, quae e Grae-"cis Grammaticis velut pluvias aquas colligimus ad irrigan-"dam ingenii nostri ariditatem, quae tamen magis salivam "nobis movent, quam explent gustum." Eandem fere sententiam dixit Vossius [1]: "Vix elegantius carmen Romano "sermone scriptum haberemus, si quemadmodum illud e "Callimacho expressit Catullus, ita quoque hoc nostro legere-"tur seculo.... efficiam ut non in coelo tantum, sed et "hic quoque lucidum splendeat Berenices capillitium." Doeringius in priore editione dolet interitum Callimachi poematis, quod voluptas omnem Catulliani carminis percipiendi elegantiam ea re nobis erepta sit. Quae in altera editione protulit majorem etiam testantur admirationem. Sic enim ait: "Nam si illud servatum esset, non solum summa ars, "qua elegantiarum pater, Catullus, Callimachi carmen de "coma Berenices Latinis numeris adstrinxerit, perspiceretur, "sed haberemus quoque Lydium quasi lapidem, ad quem "rectiora a minus rectis et elegantiora a minus elegantibus

---

[1] Ad. Carm LXVI. p. 256 in ed. anni 1684.

"scite distingui et internosci possent." Ipse Niebuhrius, praeclarissimum in litterarum republica nomen, Catulli carmen dixit: "ein herrliches Gedicht [1]." Bosscha tandem, quem jam saepius laudavimus, eos vocat judices minus aequos, ignorantia veri argumenti ductos, qui jejunum carmen appellaverint et sic simul damnaverint Catullum, lepidum illum elegantiarum arbitrum [2]. A Bilderdijkio nostrate Catulli carmen Belgicis versibus expressum est, ita ut hic quoque non sine admiratione carmen legisse videatur [3].

Qui in sensum contrarium disputavere pauci sunt numero; attamen rectius judicasse mihi videntur. Sic Naudetius [4]: "Hoc carmen, quantumvis celeberrimi eruditione "viri laudibus in coelum tollant, non possum cum eis illud "admirari, licet felicissimae venae foetus et scribendi generis "castigatissimi igniculos passim deprehendam. Et fateor qui-"dem regibus, quorum ventosae magnanimitati palpabantur, "talia commenta valde placere, immo in praesentia fabulae "opportunitatem ingenio Poetae favorem publicum conciliare, "in primis apud Alexandrinos illos, qui prae ceteris orationis "calamistros et curiosissimas figurarum dicendi argutias "in deliciis habuerunt, potuisse", et sic pergit admirans tantam apud Romanos Graecorum fuisse auctoritatem, ut non satis animadverterent, quid distarent aera lupinis. Eodem modo disputavit Helbigius [5], qui postquam de studiis Alexandrinorum apud Romanos quoque

---

[1] Vorträge über Römische Geschichte, ed. Isler III, 348.

[2] l. l. p. 2.

[3] Kallimachus Lofzangen door mr. W. Bilderdijk, p. 97. Amst. 1808. In novissima editione poetae legitur III, 39.

[4] In editione Catulli, p. 313.

[5] Deutsche Jahrbücher, etc. l. l.

florentibus disseruit, ita scripsit: "Ohne uns durch die "begeisterten Exclamationen der Interpreten irren zu "lassen, appelliren wir an den gesunden Sinn jedes unbe-"fangenen Lesers. Kann man sich — um nur einiges "heraus zu heben — etwas Geschmackloseres und Gesuch-"teres denken, als wenn das den Göttern geweihte und "unter den Sternen versetzte Haupthaar der Königin, "zuerst den Konon, dem es das Bekanntwerden seines "Ehrenplatzes unter den Sternen verdankt, wegen seiner "mathematischen Kenntnisse rühmt (v. 1—8), sodann "später nach der Versicherung, dasz es die Königin ungern "verlassen habe, die Gewalt des Eisens beklagt, dem ja "auch der Berg Athos habe weichen müssen, und die "Chalyber und den, welcher das Eisen zuerst empfunden, "verwünscht (v. 40—50), und endlich mit der niedrigsten "Ziererei gesuchter Gelehrsamkeit die Versetzung unter "die Sterne und die Sehnsucht nach Berenike besingt". Denique Mommsenus ad hoc carmen respicere videtur, quum de Catullo ita judicat[1]: "Wir finden in seiner "Sammlung Uebersetzungen von Stücken des Kallimachos "und nicht gerade von den recht guten, sondern von den "recht schwierigen".

Equidem non dubito, his, quos postremo loco testes citavi, prorsus assentiri. Paullo accuratius tamen in ipsam elegiam inquirendum arbitror, ut appareat quibus in rebus Catullus in hoc carmine conscribendo similis fuerit iis, qui poetae fiunt, non nascuntur, quibus in rebus ingenii bonam indolem, vel se ipso invito, servaverit.

---

[1] R. G. III, 584.

Primum quidem ipsum argumentum valde displicet. Comam, quamquam sit inter sidera collocata, ita ad dominam loqui, ut dicat se ipsam cognovisse "a parva virgine magnanimam", nimis a rerum natura abhorret, neque ulla festivitate vel ullo lepore sese commendat, ita ut, mirum et ingeniose inventum licet dicas, certe non sit pulchrum et veri poetae ingenio dignum. Quod idem judicium de iis omnibus ferendum esse censeo, quae ex argumento necessario sequuntur: de dolore, quem sensit caesaries, quum crudeli vi ferri a caro capite sejungeretur, de exsecratione illius, qui primus vim ferri invenerit, de muneribus, quae sibi petit coma in Veneris festis diebus, denique de adulterorum vituperatione, quae talis, qualis a poeta composita est, hic nullum locum habet. Ferri enim posset, si magis virtus et in matrimonio castitas ea re celebrarentur. Quod tamen non fit, quia jam in praecedentibus amorem erga solum maritum melius poeta depinxerat. In argumento elaborando, suo more, multa attulit Callimachus, quae admirari licet, quatenus laborem indefessum testantur, probari tamen nullo modo possunt. Laudes, quibus Conon extollitur, cujus praeclara scientia atque doctrina non sine multis ambagibus neque sine fuco mythologico per sex versus celebrantur, querelae de ferri vi, quae et Athum montem everterat, ubi locus est geographicis nonnullis promendis, deinde narratio de collocatione comae in Veneris casto gremio, ubi poeta ostendit se penitus genealogiam mythologicam cognovisse, descriptio loci, quem in coelo adepta est coma, allocutio ad Nemesin, modus quo se gloriatur non ullo timore perductum iri, ut vera tegat, denique desiderium ad caput Berenices redeundi et exitus poematis astronomicus, haec omnia tam

artificiosa, tam fucata, tam affectata videntur, ut egregia nostri poetae jucunditas in iis prorsus desideretur. Quamobrem minime dolendum arbitror non multa ejusmodi carmina, docta quidem et laboriosa, at certe non pulchra Catullum composuisse.

Iniquum tamen judicium nostrum esset, si bona nonnulla silentio praeteriremus, quae in hoc quoque carmine repeiuntur. Primum quidem si comparamus tria, quae supersunt fragmenta cum iis, quae in Catulli elegia leguntur, statim apparet poetam accurate, nec tamen modo a Latinae linguae ingenio alieno, Callimachi carmen reddidisse.

Quorum fragmentorum unum a Scholiasta Arati nobis servatum est, ubi narrat sparsas nonnullas ad Virginis sidus stellas, quae eo usque nomine caruerant, a Conone in gratiam Ptolemaei Euergetae "Berenices Comam fuisse appellatas" [1]:

"Ἡ με Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
Βόστρυχον, ὅν κείνη πᾶσ' ἀνέθηκε θεοῖς."

Quae Catullus ita reddidit vs. 7 sq.:

"Idem me ille Conon caelesti in lumine vidit [2]
"E Bereniceo vertice caesariem,
"Fulgentem clare, quam cunctis illa deorum
"Levia protendens brachia pollicita est."

---

[1] Cff. Theon ad Arati Phaen. v. 146. Valcken., p. 43, p. 79 sq. Bosscha p. 17.

[2] Uti scriptum est in recentissima Catulli editione, altera Hauptiana (1861), cujus editor (Q. C. p. 80) de hoc loco corrupto ita dicit: "sed a depravatissimi illius versus emendatione prorsus me "abstineo, ne operam pariter perdam, ac perdiderunt adhuc omnes "grammatici, neque hic "caelesti in lumine" verum esse praestem. "Nam qui possit ea res liquido confirmari?"

Neque in his servilem in modum Callimachum poeta secutus est, neque nimis ab exemplo, quod sibi proposuerat aberravit, neque lingua usus est poetis Romanis prorsus insolita.

Lubet hic addere, Valckenaerium paullulum, pace tanti viri dixerim, dormitasse mihi quoque videri, quum genuinum esse posterius, quod laudavimus, distichon negaret [1]. Ad quam sententiam quatuor praecipue argumentis perductus esse videtur:

1°. quod clare fulgentem poeta horum versuum comam Berenices in coelo dicit, dum Eratosthenes testatur reginae nomen ἀμαυροῖς ἑπτὰ sideribus esse datum [2], cujus Eratosthenis verba Scholiastes in Aratea Germanici ita Latine vertit: "videntur aliae stellae obscurae septem", cet [3].

2°. "Cur, "quaeso" deinde ait, "in hac sua pollicitatione fingeretur a Callimacho: "levia protendens brachia?" "

3°. Imprimis et id jure quidem, ei displicent isti *multi Deorum.* "Nonne metuisset", ita ratiocinatur, "istorum "Deorum vindictam, quos ceterorum numero eximeret, velut "hoc dono minus dignos"?

4°. Postremo perhibet hos versus superfluos esse et jam sufficere quae paullo post addit vs. 61:

"sed nos quoque fulgeremus
"devotae flavi verticis exuviae."

Quae cum ita sint hos versus nec Callimacheos esse, neque Catulli, sed in versuum locum, qui in membrana veterrima vix legi potuerint, ab alio longe recentiore poeta substitutos esse

---

[1] Valckenaer., p. 84 sq. Bosscha, p. 18. Haupt., Q. C. p. 80 sq.

[2] In Cataster. Leonis Cap. XII. Valcken. p. 35.

[3] Ed. Morelli, p. 114. Valcken., p. 43.

vir Clarissimus contendit. Contra disputarunt Hauptius et Bosscha[1]. Quorum hic rem ita proponit, quasi Valckenaerius eos duos versus delendos esse censuerit, cui adversatus perhibet hoc modo totum locum truncari et poetae prorsus falsa tribui. Quod verum esset, nisi Valckenaerius opinatus esset in duorum deperditorum locum hos falsos versus esse substitutos. Ceterum recte animadvertit, Cononem eo vidisse caesariem clare fulgentem, ut reginae comam esse agnosceret. Deinde quaestioni Valckenaerii cur in pollicitatione regina a Catullo, vel potius a Callimacho, fingeretur levia protendens brachia, respondet; "ut indicaretur animi sollicitudo et ardor precantis". Ut iis, quae Valckenaerius de multis istis diis disputavit, succurrat, emendationem proponit:

"Atque ibi me cunctis pro dulci conjuge divis."

Hauptius acrius rem persequitur et opinatur Valckenaerium, qui semper, se judice, in versibus delendis consilio fuit calidiore, nusquam magis audacem fuisse, quam in hac disputatione. "Neque", ait, "serio locutum esse credo virum "praeclarum, quem nefas est putare adeo unquam privatum "fuisse omni venustatis sensu, ut non videret claras dicere "debuisse illas stellas Callimachum, etiamsi essent obscuris"simae." Vir Clar. annotavit, qui deos precantur brachia protendere ex Homericis carminibus notissimum esse. Et is quoque tamen plane concedit ineptissimam esse lectionem "multis dearum". Quae ex ipsis Callimachi verbis ita ex Hauptii conjectura emendantur: "cunctis deorum". Nil enim differt littera *o*, ut in codice Veronensi scriptum fuit, a littera *a*[2], ut

[1] L. l. p. 18.

[2] Q. C. p. 82. Sic c. 64, 77 "Androgeoneae" in codicibus legitur

satis probatur lectionibus, quas Hauptius adnotavit. Dicendi hanc Catulli rationem defendit ex Ovid. Metam. 4, 630:

"Hic hominum cunctos ingenti corpore praestans
"Iapetonides Atlas fuit."

Denique quod bis idem dixisse poetam Valckenaerius perhibet, verum est, sed caussa, cur hoc fecerit idonea adest, nempe postquam diutius (v. 11—33) narrationem quam inchoaverat, poeta interrupit, ut dulces novorum conjugum amores describeret, eam resumpsit, iisdem fere verbis usus, quibus ejus primam terminaverat partem. Sed de his haec sufficiant. Satis Catullo nostro distichon illud vindicatum esse opinor. —

Secundum, quod superest Callimachi elegiae fragmentum servatum est in Etymologico Magno i. v. *θηλαμών*, ubi legitur:

"*σήν τε κάρην ὤμοσα σόν τε βίον*",

a Catullo, vs. 40 ita Latine expressum:

"adjuro teque tuumque caput."

Bentlejum primum hoc Callimacheum fragmentum detexisse adnotavit Valckenaerius [1]. Nobis parvi tamen momenti est ad modum dijudicandum, quo Catullus Callimachi poema converterit. Quae supra diximus eo nec confirmantur neque infirmantur.

Superest tamen tertium fragmentum, quod integrum fere distichon continet [2]:

"Androgeaneae" et vs. 257, "divolso" in codice Datano legitur "divalso". "Cunctis" pro "multis, jam Bentlejus restituit. Pohlii conjecturam:" quam templis illa dearum — pollicita est", quam publici juris fecit in lectionum Catulli anarum specimine, p. 57 (Euskirchenae, 1860), nullius momenti esse puto, quum omnem vim intenti precibus animi e Catulliano sustulit versu.

[1] P. 128. Cf. Bentl. Notae ad Comam Berenices in Callimachi editione Ernestiana I, 582.

[2] Valcken, p. 149 Boscha p. 30 sq.

"Χαλύβων, ὡς ἀπόλοιτο γένος
Γειόθεν ἀντέλλοντα, κακὸν φυτὸν, οἵ μιν ἔφηναν",

quae leguntur apud scholiasten ad Apollonium I, vs. 1323 et ad II, 375. A Catullo ita Latine sunt reddita: (vs. 48 sqq.)

"Jupiter, ut Chalybum omne genus pereat
"Et qui principio sub terra quaerere venas
"Institit ac ferri fingere duritiem"[1].

Quae Valckenaerium incitarunt, ut Callimachei deperdita verba hexametri ita restitueret: ὦ Ζεῦ πᾶν Χαλύβων κ. τ. λ.

Iterum paullo explicatius Callimachi verba Catullus Latine vertit, ne ea dicere cogeretur, quae aut a linguae indole, aut a Graecorum versuum sensu abhorrerent. Quoad igitur judicare licet, omni laude digna est ratio, qua Graecum Callimachi poema Latinis versibus expressit.

Jam de Callimachi quoque fragmentis discedere liceret, nisi Valckenaerius probasset et multis firmare argumentis conatus esset Withofii emendationem, pro "Chalybum" substituentis: "Telchinum". Lectio "Chalybum" Politiani debetur emendationi, codices enim exhibent: *celicum*, *scelerum*, *celitum*, *coelitum*, *coelorum*, *telitum*, *telorum*[2]. Quae lectiones in neutram partem dirimunt litem. Sed cum Politiano tamen ex Callimachi fragmento "Chalybum" restituendum censeo. Non enim id requiritur argumentum, quo praesertim nititur Valckenaerii et Withofii ratiocinatio, Catullum eum populum nominasse, qui praeterquam quod artem exercuerit fabrilem, pessimorum fuerit facinorum auctor. Tales autem Telchines erant.

---

1 Valcken, p. 143 sqq. Bosscha p. 30.
2 Valcken, p. 145. Sillig in edit p. 153 sq.

Sed nihil aliud Catullus agit, nisi ut eos exsecretur, qui ferrum primi invenerint. Quod veterum opinione fecisse Chalybes jam ex Verg. Georg. I, conjicere licet:

"India mittet ebur, molles sua thura Sabaei
"At Chalybes nudi ferrum." —

Cui allato exemplo addit Bosscha: "Quin ipsum ferrum "hinc apud Aeschylum et Sophoclem χάλυψ et eorum exem- "plo apud Propertium et Vergilium *Chalybs* appellatur."

Paullo post Valckenaerius disputavit, non ferri illi exsecrationi poetam idoneum habuisse locum [1], cum coma Berenices tantillo etiam instrumento secari potuerit. Contra Bosscha disputat, comam jam sideris habere personam, deinde recentiores quoque poetas in talibus exsecrationibus veri modum excedere solere. Cujus exemplum profert in nostrate Tollensio, qui cum calamitatem Leidae defleret, pulveris pyrii inventorem Schwarzium exsecratus sit. Sed prorsus facio cum Valckenaerio, modo ne hanc ob rem versus corruptos et spurios censeas. Neque Callimachus, quum Chalybes, neque Tollensius, quum Schwarzium execraretur, ingenio veri poetae digna scripserunt.

Sed jam valere jubeamus Callimachum; de Catullo pauca addamus. Multa in hac elegia vituperanda censuimus; etiam id quod laudavimus, non summum est, quod in poeta requiritur; solam enim Catulli peritiam laude dignam censuimus. Sed plura sunt. Versus enim eos [2], ubi coma de reginae conjugali amore disserit, pulcherrimos vocare, equidem non dubito. Tantus deus Amor est, ut reginam antea nihil timentem, jam a parva virgine magnanimam, de cari capitis salute nunc sollicitam, sensibus mentem eripuerit. Maesti animi curas,

[1] V. 11—31.

dolorem, quem sensit recens nupta flebili cari conjugis discidio, haec omnia ita descripta sunt, ut neque in hac nimis docta elegia liberum Catulli et vere poeticum ingenium prorsus suffocatum esse, gaudio praedicemus.

A vero abhorret judicium, quod per multa secula de hac elegia latum est, a vero nostrum quoque abhorreret, nisi et mala et bona, quae in ea reperiantur, simul indicaremus. Licet fere omnes viri doctissimi hoc poema dixerint pulcherrimum, licet fuerit, qui hanc protulerit opinionem: "Il y a dans "la déscription de cette apothéose un charme, qu'il n'est "donné qu'à la poésie seule de répandre sur la pensée et sur "la parole" [1], communis sensus statim unumquemque docebit tales laudes nimio antiquitatis amori esse tribuendas. Ipsum poema testimonium fert turpis erga regem adulationis, quae tempore Callimachi Alexandriae obtinebat [2], testis est doctrinae poetarum Alexandrinorum, quam sibi Catullus quoque comparaverat, uberrime docet artificiosam hanc poesin, aequiparari non posse ei, quae fructus est dotis naturae et ingenii, probat denique Catullum meliorem fuisse poetam, quam qui in talibus carminibus componendis oleum et operam perderet.

---

[1] In dissertatione de Catullo, quam scripsit abbas Conti italice, Gallice vertit abbas Arnaud, quaeque legitur p. 410, sqq editionis Catulli, quam curavit Naudetius, p. 421.

[2] Facete Valckenaerius p. 44: "neque est credibile, tali mendacio, aut "etiam si quis ita velit, sacrilegio Mathematicum absterritum, Deorum-"que vindictam reveritum, (quamvis essent istarum regionum coelites "regaliter irritabiles, laesaeque majestatis saepe vindices acerrimi), "quippe qui potentioris esset Numinis, sui sodalisque Callimachi "amantissimi, Ptolemaei Euergetae patrocinio tutus".

CAPUT SEXTUM.

DE CARMINE LXIII. DE METRO GALLIAMBICO.

Non in elegia tantum, quam ad Callimacheae exemplum composuerit Catullus, sed in aliis quoque carminibus imitationis Alexandrinorum manifesta vestigia deprehendi posse, res ipsa loquitur. Sunt in ejus libello nonnulla poemata Graeca quadam arte, Graeco quodam more composita et primum quidem inter ea locum obtinet carmen de Attine seu de Atty, quod hodie fertur sub numero LXIII.

De quo carmine non disputari posse mihi videtur, nisi prius de metri Galliambici natura inquisitio instituatur. Non enim aliter judicare licebit de multis, quae in textum ob metri ignorantiam irrepserunt, corruptionibus et de emendationibus, quas Viri Docti in carmen nostrum proposuerunt. Quod quum mihi persuasum sit, primum dicam de metro Galliambico, quae ipsa disputatio me ad Virorum doc-

torum conjecturas deducet, ut sic postquam, ut jussit olim Hermannus, praecesserit emendata lectio, ad poema interpretandum et dijudicandum transeam. Et mea quidem opinione nemo magis clare ac perspicue de metro carminis Catulliani LXIII disseruit, quam Muretus. Qui adnotavit Galliambum ita dictum esse a Gallis Cybeles sacerdotibus, qui in hujus Deae sacris eo plurimum uterentur. Μητρωακὸν quoque et ἀνακλώμενον hoc metrum appellatum est, si licet credere Hephaestioni [1], cujus verba attulit Hermannus in Elementis Doctrinae Metricae [2]. Idem TerentianusMaurus docet, dicens:

"Nomenque Galliambis memoratur hinc datum
"Tremulos, quod esse Gallis habiles putant modos" [3].

Quod idem Martialem respicere opinatur Muretus, ubi dicat:

"Nec dictat mihi luculentus Attis
"Mollem debilitate Galliambon" [4].

"Fit autem Galliambus", ita Muretus pergit, "ex *ana*-"*paesto*, *iambis duobus* et *syllaba*, quibus adduntur rursum "*anapaestus* et *iambi duo*." Exemplum affert:

⏑⏑—	⏑—	⏑—	—	⏑⏑—	⏑—	⏑⏓
Vice ve	ris et	Favo	ni,	glacies	resol	vitur

Contrahi autem possunt duae breves syllabae ejusdem pedis in unam longam; solvi potest unaquaeque longa syllaba in duas breves. Sic enim numerus temporum, quem habet

---

[1] P. 39, (67).
[2] P. 504, (Lib. II, c. 30).
[3] P. 378, Santen.
[4] Mart. Ep. lib. II. ep. 86.

versus non mutatur. Quam ob caussam in sede prima nonnumquam *spondaeus*, nonnumquam quoque *proceleusmaticus* reperitur, in altera saepe *tribrachys*, quae apud Catullum tamen in tertia numquam admittitur. Posterioris commatis pes primus praeter *anapaestum* potest esse *spondaeus* aut *proceleusmaticus*, quod idem fieri in sede prioris commatis prima modo diximus. Pes alter saepe, ut versus celerior sit, in tribrachyn mutatur. Denique (quod tamen apud Muretum scriptum non video) ob ancipitem ultimae cujusque versus syllabae quantitatem, pes ultimus aut *iambus* est, aut *duas* tantum continet *breves syllabas*.


Alia quaedam Terentianus Maurus, cujus verba Muretus attulit, tradidisse videtur. Ad idem tamen et ejus praecepta redeunt. Sic enim scripsit:

"Hoc [1] si sic repetamus, ut secundo
"Supremam dare syllabam negemus
"Juncto commate, Galliambus exit:
"*Segetes meum laborem. Segetes meum labo* —"
"Sonat hoc subinde metro Cybeleium nemus;
"Nomenque Galliambis memoratur hinc datum,
"Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos;
"Adeo ut frequenter illum prope ab ultimo pedem,
"Mage quo sonus vibretur, studeant dare *tribrachyn*.
"*Anapaestus* esse primus, *spondaeus* et solet:
"Duo post erunt *iambi*, *tribrachysve* subjicitur,
"Linquitque comma primum catalecticam *brevem*.
"Pariambus et trochaei duo comma posterum,
"*Tribrachysve* continebunt, super atque *semipes*.
"Servasse quae Catullum probat ipse tibi liber
"*Super alta vectus Attis celeri rate maria.*"


---

[1] Sc. Comma Ionicum a minore.

Recte Muretus observat mendosum esse, quod hic de Commatis primi catalectica syllaba brevi profert, longa enim est. Ceterum apud Catullum simile quid utriusque computatio efficit. Si enim Muretum sequaris, habebis:



Sin cum Terentiano pedes numeres, exibit:



Excepta illa syllaba catalectica brevi nihil interest, nisi quod plures syllabarum solutiones adnotavit Muretus. Uberrimis his testibus quum uti liceret, mirum certe videtur, postea multos viros doctos et inter eos aequales nonnullos a recta via aberrasse ridiculasque, quae cum metro pugnent, protulisse emendationes. Videamus autem, quae ceteri antiquiores de arte metrica sriptores de Galliambo monuerint.

Servius Honoratius haec ait: "Galliambicum constat "dimetro iambico catalectico et anapaesto vel spondaeo "cum duobus iambis, ut est hoc [1]:

"*Tenella crispat aura tremulos sinus freti.*"
◡—,◡ —, ◡ —,◡ | ◡ ◡—, ◡—, ◡—

Diomedes plura habet. Sic enim scribit [2]: "Galliambum "metrum apud Maecenatem tale est:

Ades inquit, o Cybebe, fera montium Dea.
◡◡ ◡, ◡ —, ◡—,—, ◡◡ —, ◡ —, ◡̇◡

[1] In Centimetri C. 9, § 19. Gaisford, p. 377.

[2] Lib III. C. 34 § 49 et 50. Gaisford, p. 498 sq.

"Superius comma, quod est: "*Ades inquit, o Cybebe,*" "simile est illi: "*Vice Veris et Favoni.*" Inferius comma "superiori simile esset, nisi amisisset ultimam syllabam. "Galliambum aliud ex hoc ipso facito, et ei simillimum "esset, nisi quod ut enervatius fieret et mollius secunda "aut tertia ab ultima syllaba in duas breves geminata est, "et factum tale:

"*Latus horreat flagello, comitum chorus ululet*"
⏑ ⏑ —, ⏑ —, ⏑ —, —, ⏑ ⏑ —, ⏑ ⏑ ⏑, ⏑ ⏑

"Si esset sic: "*comitum chorus volet*[1]", esset illi simile: "*Fera montium dea*". Ceterum huic metro, quod enerva-"tum diximus, simile est illud neotericum, quod est tale:

"*Rutilum recide crines*[2], *habitumque cape viri.*"
⏑ ⏑ —, ⏑ —, ⏑ —, —, ⏑ ⏑ —, ⏑ ⏑ ⏑, ⏑ —

"Hoc simile est illi, de quo paullo ante disputavi, quod "fuit tale: "*Latus horreat flagello, comitum chorus ululet*".

Marius Victorinus ita disserit[3]: "Inter haec" (de Ionicis ἀπὸ ἐλάσσονος dixit) "si tetrametri versus catalectici, qui in "hujusmodi metro primi habendi sunt, longas in breves "solverint, metrum efficient Galliambicum dictum, quasi "γάλλων ἴαμβοί, id est maledicta, quibus nonnunquam con-"vicientur. Idem et Metroiacon, seu ut quidam bacchi-"acon ἀνακλώμενον. Cujus exemplum:

Tremulos, quod esse Gallis habiles putant modos"[4].
⏑ — ⏑, ⏑ —, ⏑ —, —, ⏑ ⏑ —, ⏑ —, ⏑ —

---

[1] Muretus, qui hunc locum laudat, scribit: *Comitum chorus lulet.*"

[2] *Es* in "crines" arsi producitur.

[3] Lib II. Cap. 9 § 17 sq. Gaisford, p. 129 sq.

[4] Vide quae supra e Terentiano Mauro attulimus.

"Qui ex duobus colis, id est dimetro acatalecto, subjuncto "dimetro catalectico, connexus habetur, ut est,:

"Segetes meum laborem. Segetes meus labor
◡ ◡ —, ◡ —, ◡—, —, ◡ ◡ —, ◡ —, ◡ —

"Subsistit ex pariambis, admixtis trochaeis, sicut dictum "est, alterna vice, cum longis breves aut brevibus longae "subjiciuntur. Memineris tamen et tribrachyn loco tro- "chaei hoc metrum, si necessitas postularit, admittere, "neque adcrescentis syllabae numerum, cum in temporibus "omnis ratio custodiatur, officere, ut hoc galliambicum, "quod solutione complurium syllabarum compositum est, "ut "*volat agiliter*" sunt" [1].

Idem alio loco [2]: "Ex hoc Galliambicum quod vocant "metrum, emollita ac tremula modulatione formatum manare "dinoscitur. Nam si comma superioris versiculi repetendo "geminaveris, ita tamen ut sequentis clausulae ultimam "syllabam subtrahas, versum Galliambicum efficies; sic:

"Segetes meum laborem, segetes meus labor" [3].

"Hoc genus metri maxime desiderat separari in duas "clausulas, tamquam "*Super alta vectus Attis*"; dehinc: "*Celeri rate maria.*" Quod quidem Metroiacum, eo, quod "deum matris cantibus aptum sit, meritoque etiam Gal- "liambum a Gallis ministris deae appellarunt, ut versus "isti testantur:

---

[1] Post haec verba nonnulla desunt. Mutilus locus est.

[2] Lib IV, cap. 1 § 94 sq. Gaisford, p. 212 sq.

[3] Vide, quae supra e Terentiano Mauro attulimus.

"*Tremulos, quod esse Gallis habiles putant modos*
"*Sonat hoc subinde cantus Cybeleium nemus*
"*Nomenque Galliambis memoratur hinc datum*" [1].

"Recipit hic versus sub alia percussione anapaestum aut "spondaeum in prima sede, dehinc duos iambos, inter- "dum et tribrachyn. Nam superfluit tam in hoc, quam in "sequenti colo nonnumquam semipede, id est una syl- "laba, quod colon ex pariambo et basi trochaica aut tri- "brachy constabit."

Idem rursus [2]: "Memineris sane trisyllabos temporum "dumtaxat quinque vel sex, ut est bacchius et molossus, cum "in quibusdam metris sicut in Galliambico longae solvuntur "in breves, vim tetrasyllaborum obtinere".

Atilius Fortunatianus duobus locis de Galliambis meminit, et altero quidem hoc modo [3]. "Est et aliud ex hoc "metro ionico, quod Galliambon dicitur, quod in fine "degenerat, quominus integrum ionicum ἀπ' ἐλάσσονος "faciat:

"*Miserarum est neque amori dare possit remedia*".
◡◡— —— ◡ ◡ —— ◡◡ — — ◡◡◡◡

Altero loco multo uberius de hoc metro disputavit [4]; ibi enim legitur haec disquisitio: "Ex hoc nascitur Galliambus, repetito "hoc metro [4], sed una syllaba detracta, ut habeat semi- "pedem clausulam, quale est hoc:

---

[1] Lib I cap. 11, § 35.

[2] Part. II, c. 16 § 2. Gaisford, p. 346.

[3] Part. I, c. 4 § 17 sqq. Gaisford, p. 319 sq.

[4] Repetito nempe Anacreonteo metro, octo syllabarum iambico ab anapaesto incipiente, ut est:

"*Lepidum novum libellum.*" cf. l. l. § 16.
◡◡— ◡— ◡—◡

"*Mea Vatiena amabo. Mea Vatiena ama*".
⏑ ⏑ —⏑—⏑ — — ⏑⏑ ⏑ ⏑ — ⏑ —

"Et illud similiter:

"*Lepidum novum libellum: lepidus novus liber*".
⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — — ⏑⏑ — ⏑ — ⏑ ⏑

"Huic pares sunt apud Maecenatem:

"*Ades, inquit, o Cybele, fera montium Dea*".
⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑— — ⏑⏑ — ⏑— ⏑⏑

"*Ades, et tympano quate flexibile caput*".
⏑ ⏑ —, — ⏑,— ⏑ ,⏑ —⏑,⏑⏑ ⏑ ⏑ [1].

"Sed quoniam hic versus, quod Matri sacer est Idaeae "vibrare videatur, proximum ab ultimo pedem brachysyllabon "fecerunt et Graeci et hic ipse Maecenas, iis, quos modo "retuli proximum; sic:

"*Latus horreat flagello comitum chorus ululet*".
⏑ ⏑ —,⏑—, ⏑—,—, ⏑⏑ —, ⏑ ⏑ ⏑,⏑⏑ [2].

"Et Catullus:

"*Phrygium nemus ci (ta) to cupide (pede) tetigit.*"
⏑ ⏑—, ⏑ —, ⏑ —, —,⏑⏑—, ⏑ ⏑ ⏑,⏑⏑

"Et ille alterius auctoris

"*O qui chelyn canoram plectro regit Italo*".
— —, ⏑ —, ⏑—,—, — —,⏑ ⏑ ⏑,⏑—

"Ut si facias illud ex Lepidiano metro ad hanc legem:

"*Mea Vatiena amabo, mea cura mea Venus*".
⏑⏑ — ⏑ — ⏑—— ⏑⏑ —⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑

---

[1] Cf. Nobbe, de metris Catulli. p. 16, p. 23.

[2] Cff. ea, quae ex Demetrio attulimus.

"Catullus in Anacreonteo:

"*Ades*, *inquit*, *o Cybele* [1].

◡ ◡ — ◡ — ◡ — —

"Potest adhuc fieri crispior, si pro uno iambo brachysyl-"labum posuerimus in hunc modum:

"*Mea vita*, *mea voluptas*, *mea cura*, *meus amor*".

◡◡ —◡ ◡◡ ◡ — — ◡◡ —◡ ◡ ◡ ◡ —

"Hic versus habet primum pedem anapaestum, secundum "saepe iambum, nonnumquam tribrachyn, tertium iambum, "semipedem accipit medium, quia ex duobus commatibus "constat: sequens comma accipit pariambum, trochaeum, "brachysyllabum, semipede cluditur. Si quis autem quaesi-"erit, quid ita, quum sit Galliambicus versus, iambici "quoque nomen acceperit? hoc versu, qui est apud Maece-"natem, lecto, intelleget eum ex iambico quoque nasci,

"*Hic nympha cingit omnis Acheloum senem*".

— — ◡ — ◡ — ◡ ◡ ◡—— ◡ ◡

"Adjice syllabam Acheloo, fiet Galliambicus sic:

"*Hic nympha cingit omnis Acheloium senem*".

— — ◡ — ◡ — ◡ ◡◡—◡— ◡ ◡

"Esse autem huic metro cognationem cum Sotadeo cog-"noscamus hinc licet, quia facta translatione modica et "sotadeus, qui fuit, transit in Galliambum et eodem modo, "Galliambus in Sotadeum. Ex Galliambo in Sotadeum, "hinc:

---

[1] Neque ex Catullo sumptum hoc exemplum, neque ad rem quidquam facit.

"*Phrygium nemus citato cupide pede tetigit*".
⏑ ⏑ —, ⏑ —, ⏑ —, —, ⏑ ⏑ —, ⏑ ⏑, ⏑, ⏑ ⏑

"*Phrygium cupide pede tetigit nemus citato*".
⏑ ⏑ — ⏑ ⏑, — ⏑ ⏑ ⏑ ⏑, — ⏑ — ⏑, — —[1].

"Contra:

"*Galli timidi semianimes tergora versant*".
— — ⏑ ⏑, — — ⏑ ⏑, — — ⏑ ⏑, — —[2]

"*Galli tergora versant timidi semianimes*".
— —, ⏑, ⏑ —, —, ⏑ ⏑ —, —. ⏑ ⏑ ⏑[3]

Sed jam satis est de vetustioribus rei metricae scriptoribus. Omnes eorum disputationes integras adscripsimus, ut sic meliore jure inter recentiores metri interpretes litem dirimeremus. Hoc igitur primum monendum censemus, quod Muretus neglexit, metrum Galliambicum derivatum esse ab Ionicis a minore (⏑ ⏑ — —), quod jam testes, quos citavimus fere omnes indicaverunt. Galliambi autem sunt duo horum versuum ordines, quorum utrumque e binis Ionicis a minore compositum, per ἀνάκλασιν vero mutatum, duos versus Anacreonteos perfectum alterum, alterum im-

---

[1] Cf. de hoc versu Sotadeo Hermannus, Elem. Doctr. Metr. p. 449 in stemmate n[is] II, et III et in stemmate p. 450 n[o] I.


[2] Cf. Hermanni stemma p. 449 sub n[o] I.

[3] Admodum mira haec Galliambi forma videtur, attamen satis convenit cum ea, quam apud Hermannum legimus in primo Diogenis Laertii laudato versu. Elem. D. M. p. 405:

ἐν Μέμφει λόγος ἐστὶ προμαθεῖν τὴν ἰδίην.
— —, — ⏑, ⏑ —, —, ⏑ ⏑ —, — ⏑, ⏑ —

Sola differt ultima syllaba anceps. Cf. locus Atilii Fortunatiani, quem priorem adscripsimus P. II, c. 16 § 2. Catull. vs. 54 (quod ad comma prius attinet (⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — —).

perfectum efficit [1]. Perfectum: ◡◡—◡—◡— —, imperfectum: ◡◡—◡—◡◡. Qui tamen numeri Ionici neque puri neque ἀνακλώμενοι, plane sic uti sese habent in Catulli carmine leguntur, sed semper solutionibus et contractionibus lege metri licitis mutantur. Quod ipsum caussa fuit, cur tantum disputaverint et toties erraverint de re satis perspicua Viri Docti. Doeringius in prima editione [2] dubitat, num unquam certae legi nostri carminis metrum adstringi possit. Ceterum Vulpii et Werthesii [3] opiniones adscribit. Vulpii schema his verbis tradit: "Galliambus constat sex pedibus, quorum "PRIMUS frequentius est *anapaestus*, nonnumquam *spondaeus* vel *tribrachys;* SECUNDUS fere *iambus*, rarius "*anapaestus*, *tribrachys* vel *dactylus*; TERTIUS saepe "*iambus*, raro *spondaeus*, QUARTUS *dactylus* vel *spondaeus:* "QUINTUS saepe *dactylus*, interdum tamen *creticus* aut "*spondaeus*, ULTIMUS *anapaestus* et nonnumquam *iambus* "praecedente cretico." Schema Vulpii sic igitur sese habet:



Quod schema mihi prosodiae legibus omnino adversari videtur. Non enim penes poetam arbitrium liberum est

---

[1] De anaclasi duorum Ionicorum a minore in paeonem tertium (◡◡—◡) et epitritum secundum (—◡——) cff. Hermanni Elementa, p. 464 sqq.

[2] P. 229, repetita in Naudetiana p. 208.

[3] Ueber den Atys des Katull, Münster 1774, cujus opusculi tantum ea, quae Doeringius attulit, cognovi.

numeri temporum in aliquo pede mutandi. Si pes tria aut quatuor habeat tempora in uno versu, necesse est habeat tria aut quatuor per omnes poematis versus [1]. Absurdum est cogitare de licentia poetica, qua fingitur poeta ipse quas sibi posuerit leges contemnere et nihili habere. Versus certas habent leges, quas nisi semper et ubique observassent poetae, ars metrica evidentiam, quam dicunt mathematicam, non haberet et de ea nihil scire, pauca divinare liceret. Lex autem est certissima longam syllabam duo habere tempora, brevem contra tempus unum. Longa syllaba ob eam ipsam caussam in duas breves solvi, duae breves in unam longam contrahi possunt. Spondaeum igitur solvere licet in anapaestum, in dactylum, in proceleusmaticum, numquam in tribrachyn, ut facit Vulpius in sede prima. Sic in sede secunda Vulpius simul enumerat iambum et tribrachyn, quae tria, anapaestum et dactylum, quae quatuor habent tempora. Quod fieri non potest. Sic in sede tertia iambum, qui tria, spondaeum qui quatuor habet tempora simul conmemorat. Quod iterum fieri non potest. Sic in quinta sede cum cretico, temporum quinque, spondaeum et dactylum commutari a Catullo perhibet, qui posteriores tamen quatuor tantum habent tempora. Quod fieri non potest. Neque sextus pes recte sese habet. Pro


---

[1] Excipi posse ultimam totius versus syllabam, semper et ubique ancipitem per se patet. Huic omni ratiocinationi non obstare videtur, quod in nonnullis versibus pedes, varium temporum numerum habentes eodem loco leguntur, e. g. in versu iambico spondaeum cum solutionibus et iambum. Certi enim sunt pedes, quibus haec libertas conceditur nec in omnibus pro libero suo arbitrio numerum temporum poetae aut augent aut diminuunt.

anapaesto, quem hoc loco vulgarem esse Vulpius opinatur, certe poni potest in hac ultima sede tribrachys, numquam, antecesseritne creticus necne iambus; qui enim nullo modo ne correpta quidem ultima syllaba ex anapaesto effici potest.

Valeant igitur illas, quas Naudetius dicit, Vulpii eruditionis opes; comitum satis superque habebit, qui non melius rem, si numquam a certis discesseris legibus, satis simplicem, intellexerint.

Werthesius Galliambi metricum schema exhibuit hoc:



In prima tantum et altera sede contra legem, quam supra commemoravimus longas solvit syllabas Werthesius; at id solum sufficit, ut ejus ratio versuum numerandorum condemnetur. Sed ut Doeringius tradit Cl. Reizius aliis quoque argumentis Werthesium impugnavit in Programmate Prosodiae Graecae Accentus Inclinatio Epimetrum Partis I, inscripto, hisce usus verbis:[1] "Qui Catulli car-"men de Attine vertit in Germanicum et optime interpre-"tatus est Werthesius, in exponendo metro Galliambico vehe-"menter a veritate aberravit, metri caesura tollenda et ejus "tribus ultimis pedibus, anapaesto et duobus iambis in duos "dactylos et anapaestum vertendis. Non cogitavit caesuram "esse duplicem: aliam podicam, ut hexametri, aliam vero me-"tricam, ut pentametri. Podica in pede trisyllabo in alterutram "e duabus prioribus syllabis cadere potest: metrica nihil variat,

[1] Doering., p. 230, Naudet, p. 209.

"ut nec in Galliambo, qui eam habet. Non debuit igitur Gal-"liambi caesuram, quae metrica est, podicam facere." Quae Cl. Reizius disputavit, sufficiant ad Werthessii schema novo argumento improbandum. Quum Werthesius, ut ceteri omnes, sibi visus esset veram metri rationem invenisse, ea fretus emendationes, quibus opus erat, ut textus cum metro congrueret, in suam editionem recepit. Quod quum vidissset, qui post Werthesium Attin Germanice vertit, Ahlwardtus, intellexissetque e mala arbore bonos percipi posse neque in re metrica fructus, Werthesio succensuit et sic eum vituperavit [1]: "Werthes, der bei diesem Verse über Verun-"staltung des galliambischen Rythmus klagt, und diesen "durch seinen Vorschlag, Gott weiss wie schön, wiederher-"gestellt zu haben glaubt, hat ihn mehr verunstaltet, als "irgend einer seiner Vorgänger, denn er bringt gegen alle "Gesetze dieses Rythmus in den zweiten Fuss einen Ionicus a "minore, in den dritten einen Choriambus und in den vierten "gar einen Pyrrhichianapaest (◡◡◡◡—). So jedoch geht "es ihm immer, wenn er von diesem Sylbenmasse schwätzt".

Quae ut recte intelligi possint, monendum est Werthesium et Ahlwardtum in quatuor pedes dividere versum Galliambicum, quippe qui e quatuor Jonicis a minore derivatur. Ahlwardti schema autem hoc est:

◡◡—◡ | —◡—— || ◡◡—◡ | ◡◡◡⏓ | ,

quo metro duas carminis partes esse scriptas perhibet [2]. Addit in triginta circiter versibus solutionibus aut contrac-

---

[1] Der Attis des Catullus. Oldenburg, 1808. ad vs. 14, p. 12.

[2] l. l. p. 3.

tionibus mutationes quasdam effici, ita ut nonnumquam sede prima et tertia antibacchius (— — ◡), secunda dasius (◡ ◡ ◡ — —) et quarta creticus (— ◡ —) inveniantur. Et sic rem absolvit: "Die Auflösung der mittlern Länge "des ersten Fusses, wodurch dieser zum Orthius wird "(◡ ◡ ◡ ◡ ◡) bezweifle ich." Schema Doeringius exhibuit in altera editione, quod se accepisse refert a clar. Habichio, qui tamen ipse professus est, se ea tantum quae Hermannus et Nobbius de Galliambo docuissent in schema redegisse [1]. Quibus ducibus rem nos quoque proponemus, hos enim si non verum viderint, at saltem propius aliis a vero abesse, nobis persuasum est [2]. Pauca tantum Graecorum poetarum fragmenta hoc metro composita supersunt, pauca etiam Latinorum et integrum hoc Catulli carmen, de quo dicimus. Quae fragmenta praesertim a scriptoribus rei metricae nobis sunt servata [3]. Statim apparet inter Catulli galliambos et quae e. g. Diogenis Laertii servantur magnum esse discrimen. In Graeco carmine non dubitari potest, quin a metro Ionico Galliambicus versus originem repetat, in Catulliano poemate contra rare sunt hujus metri vestigia. "In hoc certioribus adstricta legibus solutio "et contractio, atque omnis omnino magis legitima compo-"sitio [4]". Mihi quidem minus originem, quam naturam metri, usu et tempore paullo immutatam spectasse videtur. In Gallorum enim cantibus citato opus erat metro.

---

1 Doering., in edit altera, p. 91.

2 Cff. Hermann. Elem. Doctr. Metr. II, c. 40, p. 504. Nobbe de Metris Catulli. Fasc I.

3 Cff. quae adscripsit aut indicavit Hermannus l. l.

4 Cf. Nobbe p. 8.

Omnia in magnae matris sacris agitata quadam mente fiebant, nullum erat metrum adeo his cantibus adaptatum, quam "pes citus", iambus. Quum autem carmina, quae cani solebant ionicis ἀνακλωμένοις, plerumque composita essent solutionibus et contractionibus, ita lapsu temporis immutatum est metrum, ut in Catulliano carmine non dubitari possit, quin, uti nomen indicat, iambus principatum in versu teneat. Qua de caussa improbanda videtur ratio, qua Werthesius et Ahlwardtus versum dividendum esse opinantur. Tempora autem hic recte observavit.

Recte jam Muretus vidit, quo pacto versus esset in pedes dividendus, et quod ad comma primum pertinet, e Terentiano Mauro didicit.

In duas autem partes versus dividitur, quorum priorem primum describemus. Semel in hoc commate puri inveniuntur ionici a minore, nempe vs. 54: "*et earum omnia adirem.*" Quam
⏑⏑ — — ⏑⏑ —⏑
lectionem metri caussa fere omnes Catulli interpretes corruptam esse opinati sunt. Sic Guarinus conjecit: "*et femina earum adirem*," (contra metrum); sic Statius: "*et earum ut omnia adirem*" (ita ut "*omnia*" esset disyllabum.) Sic Scaliger: "*et ut omnia earum adirem*" (contra metrum), Muretus: "*amica adirem*", sic Ahlwardtus: "*et earum ad omnia irem.*" Quam conjecturam Nobbius non, ut Silligius in editione perhibet, probavit, at tantum sagacissimam dixit, improbavit tamen "ob durum *i* litterae vocalis in elisione concursum "et diversam verbi *ire*, ex *ad* praepositione compositi, et cum eadem praepositione juncti significationem"[1]. Absurda

[1] Cf. Nobbe, p. 10 et eadem pagina. nota 14.

praefert Naudetius, qui neque in commentatione metrica, quam carmini praemisit, quidquam novi, quod verum esset, docuit, et hoc loco perhibet in "*omnia*" liquidam *m* effluere, ita ut sit tribrachys: praeterea concursu vocalium ultimam vocis "*earum*" non absorberi, sed dimidiatam remanere, hoc modo:

et earum omnia adirem
⏑ ⏑—,⏑ ⏑⏑, ⏑ —,⏑

Lachmannus et Hauptius codicum servant scripturam, quam Nobbius quoque tutatus erat. Quamquam rara et mira admodum apud Catullum haec Galliambi forma videtur, tamen, quia ex origine versuum generis explicatur, non pro certo affirmare audeo, hoc loco opus esse conjectura, attamen, quia patet e versibus ἀνακλωμένοις ortos Galliambos, si apta inveniretur emendatio, hanc praeferendam esse lectioni vulgari censerem. — Si autem numeri Ionici ἀνακλώμενοι fiunt, versus divisione metrum facile effici iambicum, quem hic desideramus, luce clarius est. (⏑⏑—,⏑—,⏑—,—: ⏑⏑—, ⏑—,⏑—, —) Quod metrum in commatis prioris plerisque versibus obtinet. Anapaestus, in quo arsis solutionem permittit nonnunquam solvi videtur (⏑⏑⏑⏑) ut vss 23, 48, 63, 70. Obloquitur tamen Ahlwardtus [1], hisce usus verbis: "nach "meinen Grundsätzen, die ich anderwärts entwickeln werde, "zum Nachtheil des Rythmus." Quare in his quatuor versibus emendatione opus esse ipsi visum est. Quam hoc modo afferre conatus est: legendo vs. 23: "*Ubi Maenades caput vi*

---

[1] Ad vs. 70, p. 15.

"*jaciunt hederigerae*", vs. 48: "*Ibi vasta maria*"; vs. 63, aut "*mulier*" in duas contrahendo syllabas, aut "*femina*" legendo; vs 70 aut legendo: "*Viridisque ego algida*" aut: "*ego foeda viridis Idae*". Sed nulla harum emendationum opus esse videtur. Citato pede ruit Galliambus: solutio illa primi pedis celeriorem versum efficit. Neque igitur opus est conjectura illa Scaligeri, quam egregiam dixit Doeringius [1] pro "*mulier*" "*puber*" vs. 63 legentis. Non enim, quum puber et ephebus idem significant "cumulatae de "pueritia et adolescentia voces egregie exprimunt ingenium "hominum, rem aliquam ob animi commotionem pluribus "idem fere significantibus enarantium". Caussam emendationi suae attulerat Scaliger: "Cum deploraret mutatio-"nem fortunae suae, inter alia conquereretur se mulierem "fuisse? imo nunc est, quod conqueratur se esse". [2] Sed nullo pacto orationis nexus turbatur. Genera enim figurae poeta temporis ordine recenset, a mulieris forma, quam novissimam Attis induerat initium ducens [3]. In nonnullis igitur versibus in prima sede solvitur anapaestus in proceleusmaticum; numquam autem solvi potest in tribrachyn. Non igitur ferri potest vs. 68: "*Egone Deum ministra et "Cybeles famula ferar?*" Quare omnes qui metri tenorem intellexerunt, hujus loci vitium emendare conati sunt. Sic Doctissimus in Obss. Miscell. V, 69, testibus Doerin-

---

[1] Doering. in editione altera, p. 95.

[2] Scaliger in edit. anni 1577. p. 58.

[3] Cf. Nobbe p. 13. Sillig. Epistola Critica, p. 19 sq. Nullius momenti videtur conjectura Fröhlichii (Abhandl. der I cl. d. K. Baier. Ak. d. Wiss., V, 3 p. 241): "Ego puer et ego adolescens, ego ephe-"bus, et ego vir"?

gio [1] et Ahlwardto [2] conjecit: "*egone heu*", quod Nobbio [3] tamen duriusculum videtur, qui primum conjecit "*Ego num*" et deinde, quod ipsi magis placet: "*egone et*", quocum initium vs. 58 comparat: "*egone a.*" Silligius [4] opinonem V. D. commemorat in Ephem. liter. Jenens. 1821. n°. 76, qui pro "*ne*" scribendum esse putat "*nae*". Sed jure Silligio, interrogatione omissa, totus locus mirum in modum languere videtur. Teste Doeringio [5] Jacobsius conjecit: "*ego jam*". Sed verum invenisse videtur, qui a Doeringio quoque laudatur non anonymus, ut dicit, sed Spengelius in Seebodii Neues Archiv [6], qui postquam Bentleji conjecturam (in schedis apud Kiddium ad Dawes. Miscell. p. 30): "*egone ut*" commemoravit, ductus scriptura membranae F: "*nec*" et quum reputasset idem compendium "*n̄c*" pro "*nec*" et "*nunc*" in codicibus legi, emendavit: "*ego nunc*", quam emendationem quoque a Laurentio Santenio esse factam e Lachmanni editione patet, qui, (uti Hauptius quoque) eam in textum recepit. [7]

Saepius pro iambo in sede secunda scribitur tribrachys,

---

1 Doering. in edit. I, p. 246, Naudet. p. 222.

2 Ahlwardt. p. 13.

3 Nobbe p. 11.

4 In edit p. 111.

5 In edit altera p. 96.

6 Jahrg 3. Heft 4, p. 97.

7 Errat Spengelius, quum dicit omnes codices stare a vulgata lectione. Codices Lachmanni D. L. habent "*nec*". Santenii emendationem ipse Spengelius jam notavit in annotatione 11. Veram esse hanc textus scripturam probat adscipto Propertii loco I, 16, 1 sqq. Non intelligo, quid Doeringium moverit, ut hoc Santenii et Spengelii praeclarum inventum non in textum reciperet.

ut vss. 4, 27, 30, 31, 63, 69, 76, 78 [1]. Non hoc fieri solet, ubi jam in prima sede legitur proceleusmaticus, uno excepto versu, de quo jam supra diximus 63, ubi ut celeritatem, qua in omne genus figurae Attis abiret, indicaretur, celerrimo metro usus est Catullus [2]. Neque omittendum est, quod Nobbius [3] observat: "Sed quoniam leviores "plerumque sunt exeuntium versuum numeri, ineuntibus "longarum syllabarum usu et vel maxime mediorum pedum "lentitudine gravitas et, quae a furore nequaquam potest "abesse, vis quaedam adhibeatur necesse est." Quae caussa est, cur neque si in posteriore commate brevium fit syllabarum contractio, longae in priore commate solvantur. Bis tantum solus iambus in altera primi commatis sede, in tribrachyn mutatur, ubi locum tribracheos iambus in posterioris commatis sede altera occupavit, nempe vs. 75 et 78 [4].

---

[1] Nobbe, p. 12. Recte ibi monet in: "*patria, o mea creatrix*" *a* in "*mea*" in arsi sequentibus muta cum liquida produci, vs. 50.

[2] Nobbe p. 13. Cum eo facio probante Ahlwardti conjecturam legentis: "*Quod enim genus figurae, in quod non ego abierim?*" vs. 62, quam Lachmannus el Hauptius non receperunt. Admodum enim dure sonat vulgata: "*ego non quod habuerim.*"

[3] Eadem pag. 13.

[4] Neque de versu 78 quidquam certo constat. Hauptius enim legit sine contractione in posteriore commate: "*face ut hunc furor agitet.*" Contractionem habet versus a Pohlio ita emendatus: (lectionum Catullianarum Specimen, 1860, p. 53). "*Agedum inquit, age ferox, i, fac ut icat hunc furor.*" Vocabulum: "*i*" recte a Scaligero additum videtur. Inepte Fröhlichius l. l.: "*agedum, inquit, age fere, exi, age ut icat hunc furor.*" Ahlwardtus cum Werthesio: "*Agedum inquit, age ferox, hunc, agedum aggredere ferox.*" Mihi quidem Lachmanni conjectura ab Hauptio recepta maxime placet. Opus est tribrachy, citatiore numero, in hoc posteriore commate quoque.

Tertia sede prioris commatis semper et ubique iambus scribitur neque Nobbius mihi persuasit, qui p. 14. lectionem vulgatam vs. 37: "*Piger his labantes languore oculos sopor operit*", ubi in tertia prioris commatis sede spondaeus legitur, tueri conatus est. Sic enim rem explicavit: "Metrum, quo Catullus usus est anaclasi exuit no-"turam Ionicam, mutatum est in dipodia iambica; inde "legitur in prima sede spondaeus pro iambo, qui in anapaes-"tum solvi potest. Prius comma dipodia iambica acalectica "factum est; tertia sede admittuntur igitur iambus, spon-"daeus, et hujus solutiones. Spondaei solutiones non legun-"tur apud Catullum, ipse spondaeus hoc versu impugnato "37." Sic fere Nobbius. At non ita sese res habet. Quamquam naturam fere induit metrum iambicam, tamen non ita mutatum est, ut, unde derivatum sit, non pateat, neque hoc uno exemplo probatur in Galliambis tertia sede eodem modo quo in aliis iambicis versibus pro iambo substitui spondaeum, dactylum, anapaestum. Nam si de uno concedas, de aliis simul fatearis necesse est, praesertim, quum multorum codicum veterumque editionum auctoritate, lectio "*labante*" confirmetur. Neque Varronis exemplum, quod attulit Nobbius quidquam ad rem facit. Varro enim plura sibi permisit, quibus Catullus nullum in carmine suo locum concessit [1]. Neque iambus in tertia sede umquam in tribrachyn mutatur. Quod fit "ut vox habeat, ubi conquie-"scat, et furor, cujus vis in ultimo hemistichio potissi-"mum cernitur, aliquantisper temperetur et quasi vires "colligat" [2]. Ob eandem caussam syllaba quoque, quae

[1] Nobbe, p. 14, p. 23.

[2] Nobbe, p. 15.

comma prius terminat semper longa est. Sed ut longis illis syllabis prius comma terminetur, produci oportet in Cybeles nomine altera syllaba vs. 20, 35, 84, 91. Disputaverunt viri docti, utrum igitur his locis Cybēbe esset scribendum an Cybelle, an in Cybele, media anceps esset, uti Graecum Κυβέλη et Κυβήλη. Quam autem harum rationem sequaris, nil ad metrum facit, ergo de re tam parvi momenti non disputabimus. Sic vox "tympanum" quoque nonnullis locis primam productam habet, aliis usus est forma Graeca τύπανον Catullus. Cff. vs. 8, 9 (contra tympanum vss. 21, 29, 32). Nec Ahlwardti conjectura legentis: "crotalum", quod auctoritate nititur Mureti librorum opus est, neque credendum est Naudetio [1] perhibenti nodum ita solvi posse, si *tympanum*, *gymnasium* ancipitem habere primam, ex Prisciani loco didiceris. Priscianus autem docet l, m, n, r interire tum, quum consequuntur aliquam brevem syllabam cum quavis alia consonante. Non hanc regulam sibi proposuit Catullus, qui ter in voce "tympanum" syllabam produxit primam; non docet Priscianus ancipitem effici sequentibus duobus consonantibus, quarum altera liquida, nullum igitur ejus praeceptum hic locum habet [2].

Posterius comma rursus duos Ionicos a minore continet, perfectum alterum, alterum mutilum [3]. (◡ ◡ — — ◡ ◡ —).

---

[1] P. 211.

[2] Praeclare corruptum versum 9 Lachmannus correxit "*typanum tuum*", pro "*typanum tubam*" quod quam languidum esset ineptae hujus loci interpretationes, quas, si vis, vide apud interpretes, satis probant.

[3] Nobbe, p. 18.

Quos puros uno versu sibi visus est invenisse Nobbius vs. 60: "stadio et gymnasis." Quod supra attulimus, ut ionicum purum in commate priore impugnaremus, hic quoque valet. Nec mirum igitur, viros Doctos varias in hunc locum emendationes proposuisse. Ahlwardtus conjecit post Avantium: "*atque gymnasĭs*", quod tamen metro non convenit; sex enim tantum habet syllabas, ubi septem requiruntur. Et jure addit: "Nur Unkunde "der Metrik konnte die erste Sylbe dieses Worts für kurz "halten, und tympanum, typanum, zum Beweise anfüh-"ren". De quo vocabulo jam supra diximus. Metro id solum convenit, quod scribunt Silligius, Lachmannus, Hauptius: "*stadio et gymnasiis.*" E puris ionicis efficiuntur ἀνακλώμενοι (◡◡—,◡—,◡—); in quibus si memineris anapaestum cum spondaeo et proceleusmatico, priorem iambum cum tribachy et posteriorem iambum cum pyrrichio permutari posse ceteras habebis formas hujus Galliambici versus partis. Proceleusmaticus in prima sede legitur in solo vs. 91: "Dea, domina Dindymi" mirum in modum a virorum doctorum conjecturis vexatus, quibus tamen nullum esse locum mihi persuasum est, quia secundum metri regulas severissimas e pede, quem in sede prima legere solemus, efficitur proceleusmaticus. Spondaeus in hac sede legitur sive in prima prioris commatis adsit spondaeus (vs. 73, 86)[1], sive non (vs. 18,

---

[1] Inepta sunt, quae Naudetius de versu 73 attulit, quasi *iam* disyllabum esset, sic scandens:

"*ĭam ĭām, dŏlēt, qŭod ē, gĭ; ĭam ĭāmqŭe, poēnĭtĕt.*

Non credo tam venustum poetam, qualis fuit Catullus, umquam componere aliquid potuisse, quod tam durum accederet ad aures,

22, 34, 83), sive in priore commate in sede altera tribrachys legitur, sive iambus (tribrachys vs. 22, iambus 34, 73, 86) [1]. In altera hujus commatis sede nusquam legitur anapaestus, neque legi potest. Vs. 8 igitur legendum est: "typanum" ut supra jam demonstravimus. Denique non potest habere ultima sedes trochaeum, quam ob rem cavere Nobbius jubet [2], ne vs. 46 in *ubique* media syllaba longa habeatur. Si enim *ubique* idem valet ac πανταχοῦ mediam productam habet. Quum autem significet h. l. "*et ubi*", mediam corripi licere Vir Doctissimus opinatur, quia in "*ubivis*" quoque media corripiatur et "*ubi*" simplex ultimam habeat ancipitem. Ahlwardtus conjecit: "*et ubi*", cui licet obloquatur Nobbius, multa habet quibus commendatur. Sic tandem ad finem disputationis de Galliambis pervenimus, quos videmus Catullum, quodam suo more et magis, quam ceteri Latini poetae a Graecorum consuetudine aberrantem, effinxisse [3]. Ut brevi rem absolvamus, hae formae sunt, quae apud Catullum leguntur:

1. ⏑⏑——⏑⏑—— | ⏑⏑—⏑⏑⏑⏑⏑ vs. 54 (dubius).

2. ⏑⏑—⏑—⏑—— | ⏑⏑——⏑⏑— vs. 60 (dubius).

3. ⏑⏑—⏑—⏑—— | ⏑⏑—⏑—⏑— vs. 14 et 35 [4].

---

quam illud ĭām, ĭām, quod concurrit. I consonans est et duae consonantes producunt syllabam antecedentem, quod ignorasse videtur Naudetius p. 222.

[1] Nobbe p. 19 sq.

[2] Nobbe p. 20 sq.

[3] Hermann. Elem. Doctr. Metr., p. 505.

[4] Vs. 14 textus quoque valde variis vexatur conjecturis: recte scripsit Lachmannus:

"*Aliena, quae petentes velut exules loca.*"

4. ⏑⏑—⏑⏑⏑⏑—— | ⏑⏑—⏑—⏑⏓ vs. 76 et 78[1].

5. ⏑⏑—⏑—⏑—— | ⏑⏑— ⏑⏑⏑⏑⏓ vs. 83.

6. ⏑⏑—⏑⏑⏑⏑—— | ⏑⏑—⏑⏑⏑⏑⏓.

7. ⏑⏑⏑⏑⏑—⏑—— | ⏑⏑—⏑⏑⏑⏑⏓.

8. ——⏑—⏑—— | ⏑⏑—⏑⏑⏑⏑⏓.

9. ⏑⏑—⏑—⏑—— | ——⏑⏑⏑⏑⏓.

10. ——⏑—⏑—— | ——⏑—⏑⏓ vs. 73.

11. ——⏑—⏑—— | ——⏑⏑⏑⏑⏓ vs. 86.

12. ⏑⏑⏑⏑⏑⏑⏑⏑—— | ⏑⏑—⏑⏑⏑⏑⏓ vs. 63.

13. ⏑⏑—⏑⏑⏑⏑—— | ⏑⏑⏑⏑⏑—⏑⏓ vs. 91[2].

Jam multas varias de hoc carmine lectiones protulimus; plures supersunt conjecturae praeclarae, ingeniosae, ineptae, quas hic enumerare neque lubet, neque par est. Sed ad ipsum properamus carmen. Multae de Attinis cum Cybeles amoribus in antiquitate fabulae narrabantur. De quibus Muretus: "Quae de Atti a variis scriptoribus: Diodoro, "Pausania, Eusebio, Arnobio, Augustino, Ovidio, aliisque "varie scripta sunt, congerere, infiniti et, ni fallor, legen-"tibus non nimium jucundi laboris esset." Quae tamen omnia in opusculo collegisse videtur Cl. Werthesius, qui re accurate indagata, hanc summam esse laboris teste

---

[1] Versus 78, de quo iam supra dictum est, in fere omnibus editionibus varie scriptus est. Mihi, ut jam dixi, non improbabile videtur in tam agitata allocutione, citum pedem in fine esse ponendum.

[2] cf. Nobbe., p. 22 sq., ubi quae mutanda censui, mutavi.

Doeringio professus est: "Fuit Atys ex descriptione Catulli, "juvenis formosissimus, quem si cum Apolline comparaveris, eundem sub illo latere facile tibi persuadeas. — "Collectis omnibus, quae de Attinis mytho circumferuntur, "praecipue, si ejus mortem ex communi fere narratione "in silvis subsecutam respicimus, Adonidis morti in hac "re simillimam, unus eorum regum ille fuisse videtur, "qui totam vitam in silvis venando consumpserit. Ex eadem "caussa neque conjugio, neque prole gavisus est, unde "vel οὐ τεκνοποιὸς, vel parte, qua viri sumus, privatus fictus "est. Post mortem autem nullius Deae sacris aptius nobilitari potuit Attis, quam Cybeles, quae quum Dianae simul personam tunc temporis adhuc induerit, jam in vita "illi fuit amatissima" [1]. Fabulam, quam Catullus secutus est, ita sese habet (utor in argumento enarrando Mureti verbis): "Cum Attis in nemus Cybelae sacrum venisset, "magna comitum stipatus manu, furore correptus virilia "amputavit sibi: idem feceri ceteri quoque, qui cum eo "venerant: tum per aliquot tempus, ut mos sacrorum erat, "tumultuati, obdormierunt; expergefactus Attis, cum ad "se redisset, coepit lamentari conditionem suam, etiamque "de repetenda patria cogitabat: cum Cybele objecto leone "eum ita perterrefecit, ut ab ultimo littore, quo jam processerat, iterum in nemoris opacitatem compulerit: ubi omne "reliquum vitae spatium exegit" Mirum sane carminis argumentum et a nostra cogitandi sentiendique ratione pror-

---

[1] Doering. in ed. I., pag. 229. Naudet. p. 208. Qui plura de variis de Attine mythis desiderat, adeat Pauly, Reallexicon des Cl. Alth. I., p. 235, i. v. Agdistis, et VI, 403, sqq i. v. Rea.

sus alienum. Neque Romanam videtur spirare indolem Catulli poema. Ex Asia enim Cybeles cultus Romam introducta est, quod nisi aliunde constaret, satis Servii probaretur testimonio ad Georg II, 394 referentis, in sacris Magnae Matris Gallos usos esse Graeca lingua. Antistes Gallorum Archigallus, graeca appellatione dicebatur. Unde efficitur non vere Romanum hunc fuisse cultum, neque temera videtur conjectura e Graeco carmen LXIII Catullum vertisse, aut saltem Graecum secutum esse exemplum. [1] Quod confirmatur vocabulis Graeco quodam more formatis aut compositis, quibus Catullus in hoc poemate amat uti, ut "*nemorivagus*", "*silvicultrix*", "*properipedem*". "*sonipes*" et aliis; deinde usus metri, apud Romanos poetas non prorsus insoliti, sed admodum rari; ipsum graecum vocabulum "*ephebus*" vs. 63; mentio facta de palaestra, stadio, gymnasiis, totus denique carminis tenor, mirum in modum in sublimiora elatus, indicare videntur carmen Graecum, quod doctus noster poeta vertit aut imitatus est. Quod non superesse eo magis dolendum est, quia tam pauca metri Galliambici specimina servata sunt, et, quod in haud multis carminibus antiquorum poetarum argumentum tractatur, tantopere a nostri temporis ingenio alienum.

Quid de ejus metri indole censeam, paucis declarabo. Non multi animi sunt affectus, qui, quum a poeta versibus exprimuntur, tam citato versu indigent, qualis Galliambus est. Citato enim metro optime dixeris conscriptum esse Catulli carmen. Omnia autem, quae ab

[1] Cui rei quodammodo obloqui videtur Mommsenus R. G. III., p. 584.

Attine ejusque comitibus perficiuntur, citatum fiunt in modum, cf vs. 2, 8, 18, 26. Quare? Quia furor eos cepit, rabida mens, quae Magnae matris sacerdotes stimulat, ut sumto levi typano, vagis similes pecoribus per opaca Phrygiae properent nemora; citatum igitur desideratur metrum, quod simul ita comparatum est, ut fere non metri legibus parere videatur. Itaque censeo argumento carminis optime metrum convenire. Recte igitur abbas Conti [1]: "je me bornerai donc a remaquer, que le rhythme sautil-"lant, rapide, bruyant, précipité, dont le poète a fait choix, "a un caractère d'agitation, d'égarement et de désordre, "qui convient si parfaitement au sujet qu'il traite, que je "n'en vois aucun autre auquel on pût l'appliquer sans bles-"ser toutes les lois de la convenance".

Sed quid praeterea de Catulli carmine censendum est? Admodum difficile videtur hac in re judicium ferre, quod argumentis firmis et probabilibus confirmari possit. Hoc mihi constat: longe praeferendum esse hoc carmen elegiae Callimacheae, quam supra tractavimus; sunt enim in Attine multi loci, ubi doctrina non fugavit animum poeticum, sunt partes, quibus aequus judex, mea opinione, summas non potest negare laudes. Sed contra et multa insunt, quae severo digna sunt judicio, quod de toto carmine tulit Mommsenus, ubi ait [2]:" Auch unter den Originalen begegnen "gedrechselte Modepoesien, wie die überkünstlichen Gal-"liamben zum Lobe der Phrygischen Mutter." Haud procul a vero abesse mihi videtur Doct. Helbig, qui ita scripsit [3]:

---

1 in ed. Naudet. p. 433.

2 R. G. III, 584.

3 Deutsche Jahrb. etc. l. l.

"Zwar hat der Dichter in diesem seltsamen Gedichte "die Raserei des Fanatismus der Diener der Cybele, sowie "die lichten Momente derselben und den Rückfall auf eine "sehr geschickte Weise dargestelt; aber es liegt doch die "ganze Idee unserer Anschauungsweise zu fern, als dasz "wir an einer solchen Darstellung Geschmack finden könn-"ten. Weist sie doch der lebensfrohe Dichter selbst am "Schlusze des Gedichtes sehr entschieden zurück." Contra summis Catulli carmen laudibus celebrarunt Jacobsius est Pfeifferus. Ille quidem: "In diesem Gedichte in welchem "die Tiefe sehnsuchtsvoller Traurigkeit im Gegensatze "mit der stürmischen Begeisterung wahnsinniger Orgien "mit ergreifender Wahrheit dargestellt ist, musz der herr-"liche Zusammenklang des mythischen Inhalts, der alter-"thümlichen Sprache und des Galliambischen Sylbenmaas-"ses nicht übersehen werden" [1]. Et alio loco, postquam scripsit in nullo carmine pariter Graecam conspici posse originem atque in Atti, sic pergit: "welchen ich daher "für eine Uebersetzung oder, wenn man will, für eine ge-"treue Nachbildung eines griechischen Originals halte. Hier "ist Catullus ganz anders, nicht mehr der tändelnde "Dichter, der mit seiner Geliebten Küsse zusammenrech-"net, oder die Liebesgotter zur Klage über den Tod eines "Sperlings auffordert. Seine Sprache tönt stark und voll, "wir fühlen das Wehen des Geistes, welcher die Priester "der phrygischen Göttinn durchdrang, und von seiner "Begeisterung fortgerissen, folgen wir dem rasenden Jüng-"ling durch Wälder und Berge. Aber sein Wahnsinn lässt

---

[1] Allg. Encyclop. v. Ersch u Gruber. Tom. XV. i. v. Catullus.

"nach; ein sanfter Schlummer bringt ihn zu sich selbst "und zum Bewusztsein seiner That zurück. Und wir, "deren Brust von den mannigfaltigsten Empfindungen "durchdrungen worden, stimmen gläubig in den Wunsch "des Dichters ein:

"Dea, magna Dea, Cybebe, dea, domina Dindymi.
"procul a mea tuus sit furor omnis, hera, domo:
"alios age incitatos, alios age rabidos" [1].

Quocum plane consentit, qui ejus vestigii paene secutus est, Pfeifferus [2]: "Hic Catullus non est tenellus et mollis ille poeta, "qui passerculi exsequias naenia prosequitur: hic neque "mellitos Juventii oculos deosculandos sibi postulat, neque "Lesbiam, dum fata sinant, amoribus ut indulgeat, ex-"hortatur: cave, tale quid exspectes; prorsus alius est, "Pindari instar, numine, quod celebrat, afflatus, ore pro-"fundo ruit, numerisque solutioribus devolvitur. En, "Phrygiam ad domum rapimur Cybelesque ad nemora:

"Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant,
"Ubi capita Maenades vi jaciunt hederigerae,
"Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant".

"At ipse carmen hoc legito, quod haud facile te de "manibus depositurum esse persuasum habeo, priusquam "ad finem perveneris, imo animo id imbiberis".

Quid ipse sentiam, nunc dicam, ut sic de hocce quoque carmine absolvam. Est versus in Horatii Satiris ubi servus ita poetam alloquitur: "aut furis, aut versus facis", ubi poeta divino quodam spiritu afflatus, similis aliqua-

[1] Jacobs in "Nachträge zu Sulzers allgemeiner Theorie der schönen Kunste." I, p. 167 sq.

[2] Symbolae Catullianae (1834).

tenus esse fingitur furenti. In qua re aliquid veri inest. Poeta enim, cui licet narrationes rerum non gestarum fingere et quasi veras proponere, saepe et ea facta esse fingit, quae non fieri potuerunt, aut si potuerint, tamen raro facta sunt. Illud in fabulis videndum est; hoc in nostro conspicitur carmine. Catullo aut quem Graecum imitatus est, id contigit, quod non solum nostrorum temporum hominibus, sed etiam, opinor, aequalibus insolitum, immo difficillimum esset, ut ita cum Attine sanctam sentiret rabiem, ita de Attinis misero fato cogitans furore quodam poetico corriperetur, ut sacerdotem Cybelem pie colentem sibique ipsi ob eam caussam vim inferentem quasi oculis conspexerit. Quem quum versibus descripsisset, non potuit, quin misericordia talis miserrimi fati permotus, adderet querelas, quas, quum furor mente cessisset, infelix ille de flebili corporus statu emitteret. Quas tamen impias esse neque congruere religioni Magnae Deae, eo ostendendum esse censuit, ut depingeret Attinis in nemora reditum. Sic ipse poeta, quum sensisset animo terribilem illius furoris vim, deam precatus est, ut alios incitatos ageret, a se autem procul ista rabies abesset. Sed vim eius affectus poeta senserit licet, lectores neque aequales, neque posteriores fieri fere potest, ut sentiant quoque. Et id tamen summi poetae est, ut argumentum et ratio, qua argumentum tractavit, ita comparata sint, ut lectores quoque, quum legant carmen, eodem animi motu percellantur, quo ipse, quum componeret. Huic legi non satisfacere Catulli poema ex iis, quae supra dixi, patet, attamen longe abest, ut eam ob caussam totum opus contemnam atque condem-

nem. Multa enim insunt, quae animum lectoris re vera movent. Quod enim ad me attinet, reveritus Attinis animi religionem, semel iterumque carmen legens misericordia captus sum, quum furore agitatus comites ad celebrandam Magnam Matrem excitaret et gauderet paene quod vulnus sibi inflixisset; misericordia motus sum, quum moestas illas audivi querelas, quibus patriam adlocutus est, quibusque mente ea recoluit, quae antea fuerant, tam longe diversa a misero statu, quo nunc se in peregrina terra relictum sentiret. Et quamquam non omnino cum Jacobio facio, qui jubet" "gläubig einzustimmen", preces addere poetae precibus, quibus poeta finem carmini imposuit, tamen hos quoque versus qui animi revera Cybeles iram atque furorem timentis, deam tamen ipsam pie reverentis testimmonium ferunt, pulcherrimos et eam precem ei loco omnino adaptatam censeo. Placet quoque, quod antiquitatem spirat totum carmen, imprimis iis partibus, ubi de Attine narrat, non tamen hic ipse loquitur. Insolito modo verba conjunguntur ut "*terrae sola*"; antiquiores, antiquatae fere formae proferuntur: "*tetulit*," "*pepulit*," *rusum*." Accedit metri vis, hic lentioris, illic incitatissimi. Quae omnia si bene perpendas, sine dubio pulchrum hoc carmen judicabis, censebisque, si de Catullo nihil nisi hoc unum carmen superesset, fore ut solus Attis efficeret, ut poetae nomen plus uno maneret perenne seclo. At multa tamen vituperanda quoque in hoc carmine videntur. Miseram illam doctrinam hic illic affectavit poeta, ubi nullus tali rei locus erat. Sic mihi prorsus displicet enumeratio omnium rerum, quae in sacris Cybeles fieri solebant (vs. 4 sqq). Non convenit cum At-

tinis incitato animo. Qui citatis cupit celerare tripudiis non tam longa oratione retineri se sinet. Idem est, quod vir ingeniosus in Tollensio nostro vituperavit, qui historiae nostrae heroem quemdam, quum de alta turri desiliret, non demittere potuit, nisi oratiuncula ad comites satis longa habita. Lubenter credimus Catullum probe novisse omnia, quae ad Cybeles sacra referri possent, sed haec ex opere mythologico, magis quam e tali carmine discere juvat. Neque magis suo loco legitur descriptio Solis orientis, per se quidem satis pulchra sed pro hoc carmine nimis producta (39—42); et iterum prorsus displicet vs. 43: "trepidante eum recepit dea Pasithea sinu." Multo melius doctum hunc versum omisisset Catullus. Sic denique mihi ea pars carminis non placet, qua Cybele leonem adloquitur, qui "laevus pecoris hostis" admodum affectato cognomine vocatur. Hunc jubet dea "sua verbera pati". Non huic poemati haec omnia conveniunt. Satis apta, satis docta quidem videntur, sed animi motum opprimunt potius, quam excitant, quod ne poeta faciat summopere caveat. Tribuas licet haec vitia tempori, quo vixit Catullus, modo confitearis esse vitia, non impugnabo. Haec enim spectasse Mommsenus quoque mihi videtur, quum carmen LXIII, nimis severe tamen "eine gedrechselte Modepoesie" diceret.

CAPUT SEPTIMUM.

LESBIA.

Et quod perisse vides perditum ducas.
Catullus.

Ut fere nihil, quod de Catulli vita traditur, certa nititur fide, ita ea res quoque, de qua ipse poeta plurima nobiscum communicavit, amor Lesbiae maximis vexatur dubiis. Qua de re alii viri docti aliter senserunt atque alii, et adhuc, mea quidem opinione, sub judice lis est. Qui novissimus Catulli editionem curare inchoavit, Schwabius sibi rem perfecisse visus est et luce clarius demonstrasse Lesbiam, quam Catullus amaverit, eandem esse atque famosam illam Clodiam, cui Cicero, quum Caelium reum de vi defenderet, perpetua stigmata inussit. Contra cujus disputationem dubia tamen quaedam moveri posse videntur.

Postquam enim omnia, quae Catullus de Lesbia tradi-

dit, accurate comparavi cum iis, quae scriptores antiqui de Clodia Quadrantaria tradiderunt, nec ea perpendere omisi, quae Catulli commentatores et alii viri docti, qui recentioribus temporibus de Catullo scripserunt, de ea re judicaverunt, mihi persuasum est, non probatum esse neque probari posse Clodiam illam eandem fuisse atque puellam, quam Catullus amavit; contra verisimile esse aut alio nomine eam esse appellatam, aut saltem aliam mulierem ex gente Clodia falso Lesbiae nomine significari.

Quae quaestio non nullius momenti esse videtur. Praeterquam enim verum est, quod praedicavit Lessingius [1], omnia et minima quoque de vita scriptoris antiqui, quem semel iterumque lectum diligere didicimus, scire, nostra interesse, duae imprimis sunt caussae, cur plurimum intersit, utrum ignoremus an cognitum habeamus, quae fuerit puella, cui Catullus se per magnam aut potius primariam vitae partem dicavit. Si enim plane et accurate nomen, mores, gentiles, amicos illius mulieris cognoscere possumus, multum inde lucri interpretatio carminum Catullianorum capiet, multis personis, quorum nomina in iis leguntur, suus in historia illius temporis locus vindicabitur, et res, ad quas alludit poeta melius et accuratius intellegentur. Alterum lucrum, quod ex ea notitia interpretatio nostri poetae faceret hoc est, quod multorum carminum aetas definiri et certus ordo, qui nunc in libello Catulliano plane desideratur restitui posset. Accedit quod ad mores et indolem

[1] "Man gewinne aber einen alten Schriftsteller nur erst lieb, "und die geringste Kleinigkeit, die ihm betrifft, die einige Beziehung "auf ihm haben kann, hört auf uns gleichgültig zu sein." Lessingius in vita Sophoclis, init.

Catulli accuratius perspicienda multum certe ea notitia prodesset. At contra, si nobis scire videmur quae fuerit puella, quam Catullus amaverit neque id re vera cognitum habemus, si igitur falsa utimur norma, ad quam interpretationem ejus carminum dirigimus, plane a recta via aberramus. Multa enim, quae non expediri possunt, praeclarissime expedire nobis videbimur, multa, quae recte explicare potuissemus, vitiose explicabimus. Satius enim est nihil scire quam falsa scire.

Locus in hac re dijudicanda classicus legitur in Apulejo, qui ita scripsit[1]: "Eadem igitur opera accusent C. Catul-"lum, quod *Lesbiam* pro *Clodia* nominarit et Ticidam si-"militer, quod quae Metella erat Perillam scripserit." Cet. Qui solus locus est, ubi verum Lesbiae nomen commemoratur in *omnibus*, qui ad nos pervenerunt antiquis scriptoribus. Quid ex eo colligi possit investigare et quatenus ei fides habenda sit, argumentum erit hujus disputationis.

Aliquantum certe ponderis Apuleji testimonio additur loco Ovidiano, ubi legitur[2]:

"Sic sua lascivo est saepe cantata Catullo
"Femina cui falsum Lesbiae nomen erat."

E quo hoc discimus, re vera sub Lesbiae nomine personam aliquam latere nec Catullum, ut imprimis recentiores poetae facere solent amorem fictum laetis et maestis carminibus cecinisse. Reliqui de Lesbia loci, qui apud antiquos scriptores leguntur nihil novi, quod rem perficiat afferunt.

---

[1] Apul. de Magia. X. p. 465 Hildeb.
[2] Ovid. Trist. II, 427.

Propertius enim uno loco eam commemorat, ubi diversos aequalium poetarum componit amores [1]:

"haec quoque perfecto ludebat Jasone Varro,
"Varro Leucadiae maxima flamma suae;
"haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
"*Lesbia* quîs ipsa notior est Helena;
"haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
"Cum caneret miserae funera Quinctiliae."

Martialis praeterquam saepius de Lesbiae passere, et de carminibus dicit, quae in eum composuit Catullus ipsam Lesbiam quater nominat, quos locos ad ordinem Martialis librorum recensebimus.

1o.: "Accidit infandum nostrae scelus, Aule, puellae:
"Amisit lusus deliciasque suas;
"Non quales teneri ploravit amica *Catulli*,
"*Lesbia*, nequitiis passeris orba sui [2]".

2o. "Cynthia te vatem fecit, lascive Properti,
"Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.
"Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli,
"*Lesbia* dictavit, docte *Catulle*, tibi" [3].

3o. "*Lesbia* cum tenero te posset amare *Catullo*
"Te post Nasonem blanda Corinna sequi" [4].

4o. "Si tibi talis erit, qualem dilecta *Catullo*
Lesbia plorabat, hic habitare potest" [5].

Denique *Juvenalis* ita de Lesbia scripsit:

---

[1] Prop. III, 33, 85 sqq.
[2] Mart. Ep. VII, 14.
[3] Mart. Ep. VIII, 73.
[4] Mart. Ep. XII, 44 vs. 5. sq.
[5] Mart. Ep. XIV, 77, quod epigramma inscribitur: "*Cavea eborea.*"

"haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus
"turbavit nitidos exstinctus passer ocellos"[1].

Ex his omnibus locis nihil novi de Lesbia constare, in aprico est; nullo enim nomine novo, nullo perspicuo indicio, quo Catulli puellae suum vindicemus nomen, eam significant. Neque verisimile est Sidonium Apollinarem alia antiquorum scriptorum testimonia habuisse, quorum auctoritate fretus Lesbiam doctam fuisse puellam et cum Catullo suo versus facere solitam tradidit, ita scribens[2]: "Certe, "si praeter rem oratoriam, contubernio feminarum poeticum "ingenium et oris tui limam frequentium studiorum cotibus "expolitam quereris obtundi, reminiscere, quod saepe ver-"sum Corinna cum suo Nasone complevit, *Lesbia* cum "*Catullo*, Cesennia cum Gaetulico, Argentaria cum Lu-"cano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo." Neque enim ex hoc loco aliquid novi de Lesbiae persona docemur.

Constat igitur ex ipso Catullo reliquorumque antiquorum scriptorum testimoniis poetam amasse feminam, quam dixit *Lesbiam*, neque hoc nomine fictum aliquem indicari amorem sed sub falso Lesbiae nomine veram mulieris personam latere. Accedit, quod Apulejus docuit hanc mulierem Clodiam esse dictam. Ex ipsa antiquitate nulla alia de Catulli amoribus ad nos pervenit memoria.

Quibus fundamentis nixi multi postea aut pronuntiave-

---

[1] Juven Sat. VI, 7 sq. Quem locum ad Lesbiam pertinere per se patet, si fides habenda sit titulo, qui in multis codicibus carmini Catulliano II superscribitur: "*ad passerem Lesbiae.*"

[2] Sidon. Apoll. Ep. II, 10 ad Hesperium, sub finem. (p. 54. ed. Sirmond. Par. 1652).

runt tantum aut demonstrare conati sunt Lesbiam Catulli fuisse famosam P. Clodii tribuni plebis famosi sororem. Jam Petrus Victorius[1] exclamavit ipsum poetam "hoc "ostendere videri vel potius manifesto declarare." Antiqui commentatores, qui Catullum interpretati sunt Muretus et Statius plane cum eo consentiunt, uterque ad carminis LVIII vs. 1, ille quidem mendose tradens Apulejum tradidisse, puellam, "quae in amoribus ac deliciis Catullo "fuit, quamque ipse Lesbiam mominaverit, Clodiam illam, "P. Clodii sororem, fuisse, cujus a fratre primum delibata "pudicitia" cet., hic vero modestius suam tantum ipsius proferens opinionem, Clodiam illam, quam nominavit Apulejus eandem fuisse atque eam, quae est "a Plutarcho dicta *Quadrantaria*".

Et uti antiquiores, sic recentiores quoque plerique in Lesbia Catulliana sibi Clodiam istam agnoscere visi sunt. Sic, ut a viro optime de Catullo merito initium ducam, Hauptius[2] de ea re ita scripsit: "Sed puellam illam ama"tam tantum, quanta amabitur nulla non diversam esse "a Lesbia, Lesbiam autem Clodiam istam esse Quadran"tariam, rectiusque quam nuper factum memini de ea re "seculo decimo sexto primarios quosdam viros judicasse, "liquido confirmare posse mihi videor..... verum ab hac "demonstratione nunc quidem abstinendum esse censeo. "Etsi enim spurcarum rerum investigationem saepe tam "non possumus defugere grammatici, quam ultro eam ap"petere turpe est, tamen a publico colloquio, cui haec

---

[1] Var. Lect. XVI, 1.

[2] Observ. Criticae, p. 8.

"scribo, arcendam esse quaestionem, quae sine accurata "obscenitatis pertractatione perfici plane nequit". Cui plane assensi sunt Teuffelius [1] et Kirchnerus [2], qui ambo tamen nullis argumentis opinionem, quam protulit Hauptius, confirmare conati sunt. Aliter rem egerunt Helbigius [3], Jungclausenus [4] et Schwabius [5], qui omnes longa disputatione Hauptii opinionem probare conati sunt. Contra praeter eos, qui hanc quaestionem omnino non attigerunt, Loersius [6], Munkius [7] et Leutschius [8] fere soli inter recentiores Hauptii opinioni adversati sunt. Quorum primus Apulejum non esse audiendum judicavit ita ut "vanam dare operam ipsi "visi sint, qui, quae illae Catulli amicae fuerint, quaere-"rent". Munkius ita opinatus est: "Hierüber" (utrum Lesbia fuerit soror P. Clodii necne) wird sich kaum etwas Siche-"res ermitteln lassen". Leutschius denique se cum Hauptio nequaquam facere posse professus est, sed nulla, quibus hanc opinionem firmaret, argumenta attulit, ita ut rem reliquerit infectam.

Ad hanc quaestionem bene tractandam viam sternere conatus

---

[1] Die Gedichte des Catullus, in den Versmaszen der Urschrift übersetzt von Hertzberg u. Teuffel. Einl. p. 9.

[2] Ad Hor. Sat. I, 10, 19. Vol. II, p. 339, in nota 1.

[3] Deutsche Jahrbücher für Wisschenschaft und Kunst, 1er Jahrgang (1842) nis. 304 et 305.

[4] Zur Chronologie der Gedichte des Catullus, p. 9, sqq.

[5] G. Valeri Catulli liber. L. Schwabius recognovit et enarravit. I. 1 pp. 53—135.

[6] Ad Ovidii Tristia, II, 427, p. 204.

[7] Geschichte der Römischen Litteratur II, p. 178.

[8] Philologus X, p. 735 sqq.

est Froehlichius [1], qui probavit ordinem carminum Catullianorum, uti nunc in libris manuscriptis et editionibus legitur, mirum in modum esse turbatum et, exempli gratia, carmina de Lesbia in eum redaxit ordinem, quem putavit olim ab ipso poeta esse profectum.

Ut probaret ordinem carminum, quae ad Lesbiam pertinent esse perturbatum, indicavit prorsus aliam esse mentem carminum 2, 3, 5, 7, aliam carminis octavi. Deinde in carmine 11 Furius et Aurelius jubentur pauca non bona dicta puellae poetae nuntiare, "quae simul complexa tenet trecentos moechos", dum carmen 13 ad Fabullum amorem poetae spirat ardentem. Carmen 36 lepidissimum Lesbiae commemorat votum, quod persolveret, si sibi restitutus esset Catullus, desissetque truces in se vibrare iambos, qui iambi leguntur demum in c. 37 et c. 42 et (postquam interpositum est dulcissimum illud carmen 51: "Ille mi par esse deo videtur") in c. 52. Quae exempla jam sufficiant [2], ut demonstretur, ordinem Catulli carminum, quod ad historiam poetae erga Lesbiam amoris attinet, non

---

[1] Ueber die Anordnung der Gedichte des Q. Valerius Catullus, in Abh. der Philos.-Philol. Classe d. Akademie zu München, III, III, p. 691—716.

[2] Qui plura desiderat, meminerit Catullum e. g. in c. 72 de infideli Lesbia queri, quocum convenit c. 79; c. 83 contra spem in gratiae redeundi testatur; infelicem se esse misero illo amore c. 85, pulcherrimam esse suam Lesbiam c. 86 dicit. Acriter eam reprehendit c. 87. Id, quamquam difficile esset, se perfecisse dicit, ut longum subito deponeret amorem c. 76 gloriatur (quod a plerisque recentioribus editoribus post carmen 87 collocari solet), dum in c. 92 jurat se Lesbiae erga se amoris certissima habere testimonia. Cet.

esse posse ordinem chronologicum [1]. Ut pristinum restitueret in carminibus de Lesbia ordinem, Froehlichius historiam Catulli erga hanc mulierem amoris in tres divisit partes. In primam periodum omnia cadunt carmina, quae eo tempore scripta sunt, quo *Catullus Lesbiam amare coepit, isque amor in dies crevit.* Ad alteram omnia ea pertinent, quae composita sunt quum *rixae et discordia amantes disjunxerunt.* Tertia denique periodus ea continet carmina, quae tempus celebrant, quo *prisca rediit Venus diductosque jugo coegit aeneo.*

Ad primam periodum pertinere censet:

c. 2. Passer deliciae meae puellae.
c. 3. Lugete, o Veneres Cupidinesque.
c. 5. Vivamus, mea Lesbia.
c. 7. Quaeris, quot mihi basiationes.
c. 13. Cenabis bene, mi Fabulle.
c. 43. Salve, nec minimo puella naso.
c. 51. Ille mi par esse deo videtur.
c. 70. Nulli se dicit mulier mea.
c. 86. Quintia formosa est.,

quibus fortasse adjungendum est c. 68 elegiacum.

Ad alteram periodum referenda sunt:

---

[1] Sic simul refutata sunt, quae protulit Zellius (Ferienschriften, I, p. 125 sqq) qui carmina Catulli ad Lesbiam pertinentia recensuit in ordinem, ut ipse dicit naturae ("in ihrer natürlichen Ordnung") i. e. in ordine, quo in libello, uti nunc editur, leguntur. Praeterea permulta carmina, quae non cum ejus opinione congruebant, omisit, nullis redditis rationibus, e. g. c. 11, 13, 37, 43, 70, 79, 86, 87, 91 et 100. Qui tot talesque testes non audivit, ejus quoque sententia non audienda esse videtur. De ipsa Lesbia haec garrit: "Der eigentliche Name seiner Geliebten, die er hier "Lesbia nennt, war Clodia. Sie war aus Verona und somit eine Landsmännin Catulls."

c. 8. Miser Catulle, desinas ineptire.
c. 11. Furi et Aureli, comites Catulli.
c. 37. Salax taberna, vosque contubernales.
c. 38. Male est, Cornifici, tuo Catullo.
c. 42. Adeste, hendecasyllabi.
c. 58. Caeli, Lesbia nostra.
c. 72. Dicebas quondam solum.
c. 75. Huc est mens deducta[1].
c. 87. Nulla potest mulier. }
c. 76. Si qua recordanti benefacta. }
c. 79. Lesbius est pulcher.
c. 91. Non ideo, Gelli.
c. 100. Caelius Aufilenam et Quintius.

Tertia denique periodus ex Froehlichii opinione continet:

c. 36. Annales Volusi, cacata charta.
c. 83. Lesbia mî praesente viro.
c. 85. Odi et amo, quare id faciam.
c. 92. Lesbia mî dicit semper male.
c. 104. Credis me potuisse meae.
c. 107. Si quisquam cuiquam cupide.
c. 109. Jucundum, mea vita, mihi.

De carminibus autem 40, 41, 77, 82 non pro certo affirmari potest, utrum ad primam an ad alteram periodum pertineant.

Haec Froehlichius. Quae quidem divisio, si vera esset et firmis niteretur fundamentis, certe multum proficeret ad accuratius de Lesbiae persona judicandum. Sed quaedam in ea inesse videntur, quae ipsis Catulli carminibus redarguuntur. Minoris autem momenti est, quod Froehlichius opinatur, carmina 38 et 41 ad Lesbiam pertinere, quod de carmine 38, me judice non probari potest et de car-

[1] Non cum Scaligero censet Froehlichius c. 87 cum c. 75 esse conjungendum, sed illud esse partem c. 76 suspicatur.

mine 41 minime verisimile esse videtur. Doloris, qui poetam occupabat, quum scriberet c. 38 caussa, aequo jure in fratis morte atque in infelici Lesbiae amore sita fuisse potest. Illa vero defututa et insana puella, cujus nomen latet in primo carminis 41 corrupto vocabulo non ad Lesbiam pertinere, neque moecha, de qua ejusdem carminis versu 4 dicit Lesbiam indicari opinor [1].

Sed majora sunt, quaeque magis rem perficiunt. Carminum, quae Froehlichius ad alteram periodum retulit, nonnullarum mentem longe a reliquarum ejusdem periodi mente diversam esse nemini non patebit. Ipse enim poeta de puella praedicavit in c. 68 [2]:

"Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo
"Rara verecundae furta feremus herae."

Sunt inter carmina, a Froehlichio tempori disjunctionis Catulli a Lesbia addicta, quae ita scripta sunt, ut non admodum severi amantis dolor et ira perluceant, quae non durabunt, simulac puella se totam pristino restituerit amori. Hujus generis, mea quidem opinione, sunt c. 72, quod non ad eandem classem cum carmine 85 pertinere, miror Froehlichium esse opinatum. In quo utroque carmine plane eadem mens iisdem fere vocabulis expressa est. Porro huc pertinent c. 87, ex Scaligeri conjectura cum c. 75 conjunctum. Majorem jam iram spirant c. 37, 79 et 91. Consilium non amplius eam sectandi, quae fugit et longum deponendi amorem declaratur in c. 8, quod fere fieri non potest, quin conjungatur cum

---

[1] cf. c. 43.

[2] Vs. 135.

c. 58, quo flebilius et majoris testis doloris inter Catulliana carmina non reperitur. Tandem perfecit poeta, quod diu in animo habuit, ira et dolor pervicerunt amorem, tandem tetrum deposuit morbum, quod quum fecisset, quamquam ex omni pectore laetitias expulisset, se beatum praedicavit (c. 76). Restat c. 11, quo quasi repudium Lesbiae Catullus remisit et quod ob monumenta Caesaris magni, quae in eo commemorantur necesse est, scriptum sit post Caesaris expeditionem in Britanniam alteram, i. e. non ante annum 699. Carmen 100 de amore erga Lesbiam, ut *de re omnino praeterita* agit et versus:

"cum vesana meas torreret flamma medullas"

satis, credo, indicat miserum Catullum ineptire desiisse.

Si autem consideremus carmina, quae in tertia classe posuit Froehlichius, quaeque igitur perhibuit post carmina, de quibus jam verba fecimus, scripta esse, apparebit illa non mentem spirare illius, qui ad Caelium rivalem horrida verba carminis 58 scripsit:

"Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
"Illa Lesbia, quam Catullus unam
"Plus quam se atque suos amavit omnes
"Nunc in quadriviis et angiportis
"Glubit magnanimos Remi nepotes."

Is quoque, qui rara verecundae feret furta herae, non talia dixerit verba, si lux candidiore nota foret, qua mulier amata, sed paullulum alienata, se ipsi restitueret. Quare opinor, omnia illa carmina, quae Froehlichius ad tertiam adscripsit periodum, ad eas rixas oportere, quae numquam non inter amantes oriri solent. Magis eandem

spirant mentem, ac carmina, quae ad alteram periodum pertinere opinatus est, nec ullum servant vestigium severitatis et doloris, quorum alterius periodi carmina plena sunt.

Accedit, quod supra monuimus, c. 11 non ante annum 699 esse compositum, et igitur ad Catulli, circa annum 700 mortui ultima carmina pertinere; accedit deinde quod multa carmina, quae Froehlichius ad Lesbiam retulit, fortasse non eam respiciunt, v. g. c. 13, c. 43, c. 70, e prima periodo, ex altera vero c. 38, c. 42, c. 91; accedit denique, quod summum est, Catullum brevi ante mortem libellum edidisse et luce clarius est eum, si ante cum Lesbia in gratiam rediisset, illa famosa epigrammata, quibus mulieri quondam amatae perpetua stigmata inusserat, non publici juris facturum fuisse nec ad posteritatem transmissurum. Quum igitur libellum ederet, non reconciliatio Catulli cum Lesbia, de qua carmina, quae Froehlichius in tertiam periodum congessit, agunt, facta erat. Qua re per se patet Froehlichii divisionem mendosam esse. A scopo igitur Vir Doctissimus aberravit. Luce clarius ostendit ordinem, in quo ad nos pervenerunt carmina Catulliana, non ab ipso poeta esse profectum [1], sed ubi pristinum

---

[1] Caussam quoque Froehlichius perspexisse mihi videtnr perturbati in libello Catulliano ordinis. Ad metri enim nornam carmina disposita sunt, et ita quidem ut in tres classes dividi possint.

1°. Carm. I ad LXI, quae omnia versibus iambicis aut metro, quod cum iis cohaeret composita sunt:

a. XL, in quibus Catullus usus est hendecasyllabis: 1, 2, 3, 5, 6, 7, 9, 10, 12—16, 21, 23, 24, 26—28, 32, 33, 35, 36, 38, 40—43, 45—50, 53—58.

b. tria, quae versibus iambicis composita sunt 4, 29, 52. (Quibus accedit c. 20, quod in multis editionibus non legitur).

ordinem restituere conatus est, non satis, quod ipse Catullus praecepit, quae perisse videbat, perdita duxit. Ad accuratam Lesbiae personae cognitionem comparandam, quae ille in divisione sua protulit nihil prodesse mihi videntur.

E quibus omnibus patet Froehlichium non id egisse, ut certe quid de Lesbiae persona affirmaret, sed hoc potissimum ut ad ejus accuratam notitiam viam sterneret. Longius progredi ausi sunt et Lesbiam suum locum in historia temporis et suum nomen vindicarunt, quos jam supra nominavimus, Jungclausenus, Helbigius, Schwabius.

Jungcláuseno sola caussa, cur Froehlichius in errorem delapsus sit, postquam multa recte perspexit et clare indicavit, haec fuisse videtur, quod non satis amoris erga Lesbiam certum definitumque tempus in vita poetae constituerit. Quod vitium ut ipse vitaret, initium sumpsit ex Apuleji loco, quem supra adscripsimus et palam praedi-

---

c. octo, choliambis conscripta: 8, 22, 31, 37, 39, 44, 59, 60.

d. unum, in quo tetrametro iambico catalectico usus est poeta: 25.

e. unum tetrametris choriambicis catalecticis compositum: 30.

f. tria versibus glyconeis composita: 17, 34, 61.

g. duae odae sapphicae: 11, 51.

(C. 17—19, quae in multis editionibus non leguntur metro priapeo conscripta sunt.)

II. Versibus heroicis hexametris composita sunt c. 62 et 64, inter quae interpositum est c. 63 versibus satis longis Galliambicis conscriptum.

III. c. 65—116, in quibus poeta usus est metro elegiaco; primum majores et proprie ita dictae elegiae, deinde minores, "und "ein buntes in elegischem. Gewand auftretendes Völklein von grösstentheils mit dem Salze beissenden Spottes gewürzten Epigram"men." Cf. Froehlichius l. l.

cavit ex sua opinione Lesbiam fuisse Clodiam famosam illam Quadrantariam, Q. Metelli Celeris uxorem. quod multis argumentis probare conatus est, me judice tamen non probavit.

Ut supra jam diximus aliquantum certe ponderis Apuleji testimonio additur loco Ovidiano, qui affirmat saepe Catullum lascivam cecinisse feminam "cui falsum Lesbiae nomen erat." Pulchre ea, quae tradidit Apulejus conveniunt cum regula quam de nominibus propriis fictis Bentlejus exposuit ad Hor. Od. II, 12, 13. Idem numerus, eadem syllabarum quantitas in *Lesbia* atque in *Clodia.* Sed non sufficit demonstrasse Lesbiam Clodiam fuisse appellatam, plura requiruntur, quae probent, fuisse eam famosam famosi tribuni plebis P. Clodii sororem. Qua de re Jungclausenus ita dicit: "Wenn es ein Prüfstein der "Richtigkeit einer Hypothese ist, dasz durch diese alle in Frage "kommenden Puncte, eine treffende Erklärung finden, so "ist in der That in die Glaubwürdigheid derselben kein "Zweifel zu setzen." Et deinde demonstrare studet, omnia quae de Lesbia quaeruntur, aut cum ea cohaerent, optime explicari posse, si ponas, eam fuisse Clodiam Quadrantariam. Quam tamen viri Doctissimi regulam tunc demum valere opinor, quum demonstratum sit, unam tantum esse rationem, qua quaestiones, de ea re propositae solvi possint, unam tantum esse mulierem, de qua dici possint, quae de Lesbia tradidit Catullus.

Sed videamus, quae Jungclausenus porro ad opinionem confirmandam attulerit. Initio argumentationis ipse profitetur, quae protulit credi non posse, nisi ab eo, qui intellexerit Catullum puellae amatae multa tribuisse bona et praeclara, quae non habuit, Ciceronem contra multa con-

vicia in eam conjecisse, quae non veram referunt Clodiae imaginem. Cetera ait pulchre convenire Lesbiam inter et Clodiam omnia.

Allius amicus, ita sibi Catulli depingit amorem, Romae domum dedit Catullo dominaeque, in qua amores exercerent communes. Illa domina tunc temporis jam nupta erat. Clodia quoque nupta erat cum Q. Metello Celeri et Romae quoque vivebat. Amore vehementi correptus est poeta, ut de se ipse ait, c. 68, 53:

"cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes
"lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis."

Quod ita per haud breve tempus duravit, uti patet e carmm. 5, 7, 51, 2, 3, 86, 83, 68. Quamquam non nimis stultorum more molestus erat Catullus, tamen ita numerus dominae furtorum crevit, ut fama per urbem ferretur, dum Catullus Veronae esset "quemvis de meliore nota frigida deserto tepefacere membra cubili." Qua de caussa rediens Romam jam (si enim c. 70 ad carmina de Lesbia adscribendum sit) adeo diffidebat amata puella, ut sic opinaretur:

"mulier, cupido quod dicit amanti
"In vento et rapida scribere oportet aqua."

Magis magisque turpes Lesbiae mores poetam ab ipsa alienarunt, ita tamen, ut amorem nondum deponere posset, uti testantur c. 72, c. 87, conjunctum cum c. 75. Omnia suadebant, ut eam valere juberet. Sed amor, uti tenuis sub artus flamma demanabat. Sed quum unus ex poeta amicis, fortasse M. Caelius Rufus, orator, qui non ante annum 694 U. C. ex Africa, ubi cum proconsule Cn. Pompejo Rufo fuerat,

Romam rediit, cum Lesbia amores exercere coepit, in eum Catullus acerrimis conviciis invectus est c. 77 et ei exprobravit, sibi omnia bona ab eo esse erepta. Clodia vero a M. Caelio Rufo amata est, tunc, quum ille ex Africa rediisset; Rufus habitavit in aedibus Palatinis P. Clodii, ubi cum hujus sorore vixit. Sed non tantum cum Caelio Rufo, at etiam cum aliis amores exercuit Lesbia, e. g. cum eo, cujus nomen latet sub Lesbii nomine in c. 79, ubi ex uno Scaligeri codice fortasse restituendum esset: "Caelius". Quod si facere liceret, bene congruerent, quae hic Catullus dicit cum conviciis, quae in c. 77 leguntur, et "tria savia" (c. 79) sic explicarentur per salivam spurcam, qua purae Lesbiae (!) savia Caelius comminxit. Ceteroquin pulcher Lesbius optime conveniret cum pulchro M. Caelio [1]. Sed non tanta est hujus unius codicis auctoritas, ut propter eum lectionem ab omnibus reliquis et optimis codicibus servatam mutanda sit. Si autem *Lesbia*, ut Apulejus tradidit, fuerit *Clodia*, *Lesbius* necesse est, fuerit *Clodius* et sic Catullus hoc carmine dixisset de famoso cum sororibus P. Clodii amore. Ipsi tamen Jungclauseno id non spectare hoc carmen videtur. Non satis acre, non satis vehemens est, ut de tali nefando facinore cogitari possit.

Utut est, praeter Caelium et Lesbium, Gellius (c. 74, 80, 88, 89, 90), qui nihil tangere solebat, nisi quod fas tangere non est, qui tantum suscepit sceleris, quantum non ultima Tethys, nec genitor nympharum abluit, Oceanus, Lesbiam amavit et spurcavit. Sed quotquot es-

---

[1] Cf. Drumann. Röm. Gesch. II, 421.

sent peccata Lesbiae, semper Catullus eam amare pergebat (c. 85). Odit, sed simul amat et ea re miserrimum se esse hominum queritur. Meminit malorum, quae Lesbia perpetravit sed simul scribit: "dispeream, nisi amo" (c. 92). Totidem enim sunt Lesbiae atque ipsius Catulli, sibi invicem imprecantur, sed tamen amant. Et iterum dulci conjunguntur amoris vinculo; "insperanti sed cupido optantique hoc obtigit", quod Lesbia se Catullo restitueret (c. 107), proponeretque amorem inter se atque poetam perpetuum fore, quod a diis magnis Catullus precatur, ut verum faciant, ratumque habeant (c. 109).

Sed mox Lesbia, oblita eornm, quae promiserat, furta renovavit, fidem iterum laesit, ita ut Catullus summa animi contentione longum deposuerit amorem, quo facto elegia 76 summum dolorem, qui intimum cor dilacerabat, expressit. Mox tamen, occasione oblata, Romam reliquit, ut non amplius eam videret, quam tantopere amaverat, quacumque tam dulces conjunxerat amores. In Bithyniam profectus est cum Memmio praetore, homine nefario, anno 59 a. Chr. Inde rediit anno 56, eo ipso anno, quo Clodia Caelium reum fecit de vi, qui a Cicerone defensus, judicum sententiis absolutus est. Sed Clodia in dies pejor, contemtior, vilior fiebat et Bajis et Romae ut scortum ex infima plebe vivebat. Quum haec comperisset Catullus intellexissetque oratione Ciceronis pro Caelio hujus mulieris malefacta per omnium ora esse divulgata acerrimum de tali nefaria puellae quondam amatae sceleritate expressit dolorem c. 58, e quo patet poetam cum Caelio reconciliatum fuisse. Ultimum de Lesbia verba facit in c. 11, quod uti jam diximus propter in eo commemorata magni Caesaris mo-

numenta non ante annum 699 scriptum esse potest.

Hanc erga Lesbiam Catulli amoris sibi Jungclausenus proposuit imaginem, cujus descriptionem concludit Bernhardii verbis: "Die Gesinnung, in der unser Dichter des unstatthaf-"ten Verhältniszes sich entschlug, ehrt ihn in allem Masze" [1].

Aliter rem Helbigius tractavit, qui, ut Jungclausenus, Apuleji auctoritate permotus Clodiam Quadrantariam affirmavit, eandem fuisse ac Catulli Lesbiam. Catullus eam primum vidit, hoc fere modo historiam narrat amoris poetae, teneram adhuc puellulam in aedibus Manii Allii, quem Lesbia amabat [2]. Vehementi erga hanc mulierem pulchram, festivam, lepidam (c. 86) amore correptus est. Qui amor eum incitavit, ut plura, quae supersunt carmina, componeret; cff. c. 2, c. 3. c. 5, c. 7, quae patet eo tempore esse confecta, quum primum Catullus erga Lesbiam amore arderet. Non tamen conjunctim cum ea vixit suosque cum ea exercuit amores sine vituperatione et "senum rumoribus severiorum". Gravis tamen ardor, quem poeta animo ceperat, contempsit et derisit

---

[1] Grundr. der Röm. Litterat. (1850) p. 468, A. 439.

[2] Male, ut recte Jungclausenus l.l., p. 11 monuit, Helbigius versus Catullianos, qui in carmine 68, vs. 67—69 leguntur ita interpretatus est. Sic enim scribit poeta:

"Is clausum lato patefecit limite campum,
"Isque domum nobis, isque dedit dominam,
"Ad quam *communes exerceremus amores*".

Ridicule adnotavit Doeringius in editione altera: "*Satis familiariter.*" Verum vidit Froehlichius, cujus verba jam adscripsit Jungclausenus: "is mihi et dominae (puellae) meae domum dedit, ad quam "(in qua domo) communes amores (ego et domina mea) exercere-"mus." Cf. Abh. d. 1 Cl. d. k. Baier. Ak. d. Wisz. V, III, p. 264. (1849).

istos rumores, "omnesque unius aestimavit assis". Sufficiebat ipsi a Lesbia sua amari, et multa millia cum ea perficere osculorum (c. 5). Sed non eodem fuit animo Lesbia vel Clodia, quo Catullus. Non uno viro contenta Romae et Bajis se turpissimis inquinavit libidinibus. Quod initio satis facile Catullus concessisse videtur (c. 68, vs. 27 sqq, vs. 135 sqq, c. 82). Sed quum intellexisset se non amari a famoso illo scorto acerbis in eam epigrammatis invectus est et flebili questu miserum animi statum descripsit, qui odisset, nec tamen amare posset desinere. Ad carmina acerba et vehementia pertinent c. 11, c. 58, c. 77, c. 79. Ad flebiles illos cantus adnumeranda sunt carmina 8, 72, 76, 85. Carmina denique 107 et 109 rixam spectare videntur inter Catullum et Lesbiam ortam, aut per aliquod tempus interruptum inter poetam puellamque amorem, cff. c. 92 et c. 104. Quae omnia melius tamen intelligerentur, si certa quaedam affimari possent de tempore, quo Catullus singula composuerit carmina. Non facile aliquis sibi persuadebit, poetam etiam post tot tantaque Clodiae crimina, quot quantaque Ciceronis oratione pro Caelio per hominum ora divulgata sunt, Catullum in gratiam cum ista muliere rediisse. Qua de caussa suspicari licet Catullum erga Lesbiam amorem concepisse, quum XVII annos natus esset, anno igitur ante Chr. 59, quo ipso anno mortuus est Clodiae maritus, Q. Metellus Celer. Anno 56 Cicero Caelium defendit. Per tres igitur annos durare potuit vinculum, quod poetam cum illa nefaria conjunxit muliere. Sed ex his unus excipiendus est, quo Catullus Memmium praetorem comitatus est in Bithyniam. Videtur enim hic Memmius fuisse C. Mem-

mius Gemellus, qui anno post Caesaris consulatum praetura functus est urbana, i. e. anno ante Chr. 58, et igitur anno sequenti, 57, in provinciam profectus est. Quod si verum sit eodem tempore mortuus est poetae frater, et tandem perditum censens, quod perisse videbat, Catullus non tamen sine summo animi dolore longum deposuit amorem. Scripta sunt igitur omnia ad Lesbiam et de Lesbia carmina annis 59 et 58 et carmina 65, 66 et 68 in quorum primo et tertio fratris mors commemoratur anno 58. Itinere in Bithyniam solatium quaesivit poeta de fratris morte et de intermortuo amore. Fratris tumulum adiit ineunte anno 56, deinde rediit in Italiam, ubi de Ciceronis oratione pro Caelio audivit. Qua permotus fortasse composuit c. 49, in quo versu illo:

"pessimus omnium poeta."

carmina respexerit, quae olim in Lesbiae honorem composuerat.

Haec Helbigius disputavit, et ita rem absolvit: "Nun "hatte der zwanzigjährige Dichter seine Leidenschaft völlig "überwunden, und diesz erklärt den zuerst im 10ten Ge-"dichte, und vielen andern hervortretenden leichtfertigen "und nicht selten gemeinen Ton, und den mit gereiften "Jahren sich entwickelnden herben Ernst des Dichters in "seinen satirischen Producten. Seine schöne Zeit war vorü-"ber, und das, was seinen wahren Ruhm begründet, "hatte er grösztentheils bereits gedichtet."

Tertius denique Schwabius longa disputatione Clodiam fuisse puellam a Catullo amatam probare studuit. Sed jam ipse in argumentationis initio perhibet ita optime de Lesbia judicari posse, ut ponatur probandum jam esse probatum, atque affirmetur quod fundamentum sit totius

disputationis, Clodiam Quadrantariam a Catullo Lesbiae nomine ficto significatam esse. Deinde pauca dixit, ut in universum naturam amoris illius et indolem explicaret.

Quod ita fecit: "Arbitror Catulli amore et pietate, inde "ab eo tempore, quo necessitudo quaedam inter ambos "intercedere coepit, Clodiam turpiter abusam esse. Clodiae "enim, mulieris libidinosae pulchritudine insigni, ceterisque "lenociniis Catulli animum simplicem et apertum artiumque "meretriciarum ignarum incredibilem fere in modum cap"tum et adeo irretitum esse, ut poeta ne suspicaretur "quidem se a Clodia falli posse, nedum re vera falli: ut "postea, cum suspitio justissima orta sibi esset, semper "ad ignoscendum propensus et quodvis recens perjurium, "quod Clodia innumerabilibus prioribus addidisset, verissi"mum jusjurandum ducere paratissimus esset: denique, "ut cum tandem eo perventum esset, ut scortum vile dese"rendum esse omnia clamarent, non sine maxima animi "aegritudine a se impetrare posset, ut amorem invetera"tum deponeret. Haec omnia, quamquam mirere, tamen "non ita difficile explicabis, dummodo ad Catulli ingenium "respexeris. Quae enim Seneca, de tranquillitate animi "XV, 16 dicit, nullum magnum ingenium sine mixtura "dementiae fuisse, ea etiam in Catulli ingenium apte "quadrant." Et sic pergit. Deinde imaginem Catulli amoris, quam ex ipsius poetae carminibus sibi finxit, describit, a carmine 68 initium ducens. Narrat, quo pacto in amici Allii aedibus Catullus convenerit cum Lesbia ad amoris voluptatibus fruendum. Poetae enim, quum Metelli, viri gravissimi, Clodiae mariti caussa, ipsam amatae mulieris domum introire non auderet, occasio ejus con-

veniendae deerat. Quanto Lesbiae amore arserit Catullus, multa, quae supersunt carmina declarant, sic c. 5, 7, 2, 3. In quibus duobus posterioribus carminibus nomen Lesbiae reticetur, quod etiam fieri videmus in carminibus 8, 11, 13, 36, 37, 42, 68ª, 68ᵇ, 70 (cf 72), 78, vs. 7 sqq. 76, 91, 104, 109. Eodem fere tempore, quo quatuor illa carmina, quae priora nominavimus conscripsit, carmen 51, e Sapphus illo: "Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θέοισιν" convertit et carmen 68ᵇ (i. e. carm 68, inde a versu 41) composuit, in quo Allium amicum laudavit propter beneficia, quibus in amore poetam affecit. Jam tamen in confinio sumus alius carminum generis; in eo ipso enim carmine Catullus jam cecinit vss. 135 et 136:

"Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo
"Rara verecundae furta feremus herae."

Lesbiae infidelitas satis acerbe vituperatur, Catullus tamen adeo puellae venustate et suavitate deceptus erat, ut ejus furtis indulgenter connivens et varias excusandi caussas colligens, carmen illud his amore inflammatis versibus concluderet:

"Et longe ante omnes (felix sit) mihi, quae me carior ipsost,
"Lux mea, qua viva vivere dulce mihist."

Denique primae, ut ita dicam, classi de Lesbia carminum c. 86: "Quintia formosa est multis, mihi candida, longa" adscripsit Schwabius.

Ad alteram vero classem pertinere opinatus est c. 70: "Nulla se dicit mulier mea nubere malle", cum duobus similis argumenti carminibus, c. 83: "Lesbia mi praesente viro mala plurima dicit" et c. 92: "Lesbia mi dicit semper male, nec tacet umquam". Quae omnia

carmina discordiam inter amantes ortam esse produnt, prius leviorem, saepius bona cum gratia compositam, quae deinde tamen gravissima facta est, quippe qua amor in odium conversus dissolutus est. Videmus enim Catulli amorem, quamvis Clodia peccet fieri vehementiorem; mulierem enim immerito amatam in c. 104: "Credis me potuisse meae maledicere vitae" contra quendam defendit, qui verbo aliquo Lesbiam vituperante, quod dolor poetae excusserat, abusus, Lesbiae Catullum maledicere narraverat.

Sed non semper caeca cupiditas in Catulli animo dominatum retinuit; tandem fortiter poeta indigno restitit amori, quod fieri videmus in c. 72: "Dicebas quondam solum te nosse Catullum". Similes questus Catullus edidit in carminibus 87 et 75, jam a Scaligero inter sese conjunctis.

At non solum in Clodiam, sed etiam in aemulos, quibuscum ea adulterabat Catullus vehementer invectus est. Vide, quae de Ravido dixit c. 40, de alio amico c. 60. Fortasse huc quoque convicia referenda sunt, quae in Alfenum conjecit c. 30.

Imprimis vero in M. Caelium Rufum acerbis carminibus invectus est, qui Clodiam a poeta alienaverat, c. 77, c. 69 et fortasse carmine quoque 73. Ad eundem Rufum fortasse referendum est c. 59. Quamvis enim M. Caelius Rufus a Cicerone candore et proceritate et vultu oculisque pulchris insignis fuisse dicitur, tamen non a veri simili abhorrere Schwabius opinatur, Caelium hoc carmine indicari, quia Catullus hominibus olim sibi amicissimis, si postea inimici facti essent, turpissima quae-

que, quae cum caussis inimicitiarum minime cohaerebant, objectare non vereatur, oblitus in se ipsum ex hujusmodi calumniis eorum, quos paullo ante in amicorum numero habuerat maculam haud mediocrem relabi. Certe princeps aemulus Catulli fuit Rufus ille, alter, quem tangit c. 79 sub Lesbii nomine. Quem non veretur Schwabius ob illam Lesbii pulchritudinem, P. Clodium Pulchrum dicere, Clodiae, quam fuisse Catulli Lesbiam opinatur, fratrem germanum. Tertius poetae aemulus fuit Gellius, quem septem carpsit carminibus, quorum agmen ducere videtur carmen 116; reliqua id ipsum, quod in hoc carmine Gellio minatus est Catullus, perficiunt (carm. 74, 80, 88, 89, 90, 91). Qualis eo tempore conditio Catulli esset animi, satis declarat carmen 85:

"Odi et amo; quare id faciam fortasse requiris?
"Nescio, sed fieri sentio, et excrucior."

Quod epigramma quodammodo tituli loco praeponi potest omnibus illis carminibus, quae Catullus per tempus discidii inter amantes orti scripsit.

Nondum tamen a se ipso impetrare potuit, ut Clodiam desereret, sed tela in ejus innumerabiles amatores conjicere perrexit, veluti in carmine 37: "Salax taberna, vosque contubernales", e quibus Egnatium quendam Celtiberum nominat, quem in carmine 39 quoque: "Egnatius, quod candidos habet dentes" lepide admodum carpsit. Jamdudum igitur omnia clamabant, Clodiam, vile scortum a Catullo deserendam esse. Poeta ipse tandem intellexit, se, quo diutius cum Lesbia familiaritate quadam conjunctus

esset, eo majori id sibi probro futurum. Qua re primum carmina sua amoris pristini gaudia et voluptates celebrantia penes Lesbiam manere noluit et ab ea illa repoposcit. Sed Clodia, opinata se animum Catulli iracundiorem artificiis illis, quibus tam saepe poetam sibi reconciliavisset facile mitigaturam esse, carmina reddere recusavit; tum Catullus ira et indignatione permotus in illam carmen 42: "Adeste hendecasyllabi, quot estis" scripsit, quo acerbius in Clodiam scriptum in libello Catulliano non reperitur. Paullo postquam animo vehementi et irato Catullus carmen 42 scripsit, carmine 8: "Miser Catulle, desinas ineptire", puellae valedixit sedate, sed ita, ut facile intellegatur et Lesbiam etiam tum a poeta ardenter amari, et, si Lesbia fidem religiose servare promitteret, Catullum paratissimum fore ad amorem redintegrandum. Hanc carminis rationem Mauricius Hauptius observationum criticarum, p. 2 et 3 his verbis bene exposuit: "in hoc dulcissimo carmine dum "se revocat poeta a misero amore, non tamen omnem "spem recuperandi ea, quae perierunt, ita abjecit, ut abje"cisse videri vult, nec tam obstinata mente obdurat, quam "de se praedicat. Quare multus est in describenda relictae "a se puellae tristi sollicitudine, atque in fine carminis "iterum sese ut obduret, adhortatur". Et subito in amore Catulli omnia mutata sunt: reconciliationem inter amantes perfectam esse videmus, quae cur facta sit, ignoramus. Quam imprimis carmen 107 testatur: "Si quicquam cupido optantique obtigit umquam". Eandem mentem testatur carmen 109: "Jucundum, mea vita, mihi proponis amorem". Cum quo utroque carmine carmen 36: "Annales Volusi, cacata charta" conjungendum est, in quo lepi-

dum et joculare sacrificicium Veneri votum persolutum describitur. Soles igitur candidi, quos in carmine octavo deploraverat poeta, iterum exoriri videbantur.

At Lesbia tunc non melioribus fuit moribus, quam antea. Tunc demum Catullus omni indulgentia atque omni patientia sepositis animum recepit, et sanae mentis praeceptis paruit. Difficile fuit longum deponere amorem. Difficile fuit, at hoc ut qualubet ratione perficeret, omnium virium intentione contendit (c. 76), et perfecit.

Paullo post scripsit carmen 68a; quum Manlius quidam per epistolam Catullum rogavisset, ut se variis rebus adflictum carminibus amatoriis transmissis quodammodo consolaretur et erigeret, poeta amico respondit, se quum non minoribus, quam ille calamitatibus opprimeretur, Manlii precibus satisfacere non posse.

Ut dolorem de fratris morte, quae in idem incidit tempus et de turpibus Lesbiae, quam quondam plus oculis amaverat, moribus leniret in Bithyniam iter suscepit, Quum anno 56 ineunte rediisset, audivit de Ciceronis pro Caelio oratione, quam ob rem hujus facultatem oratoriam carmine 49 celebravit: "Disertissime Romuli nepotum". Eodem fere tempore poeta, non tam iratus et desperatione oppressus, quam animo aequo ac sedato carmen 58 ad eundem M. Caelium Rufum misit, quem olim aemulum acerbis contumeliis persecutus erat: "Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa". Denique Catullus Furium et Aurelium jussit pauca non bona dicta puellae renuntiare, c. 11: "Furi et Aureli, comites Catulli".

In hunc modum Schwabius disputavit. Finem fecit accurate tempus definiendo, per quod Lesbia Catullum amaverit.

Quod tamen prorsus pro suo fecit arbitrio. Praeter carmen enim 11 nullum ex iis carminibus, quae ad Lesbiam aut de Lesbia scripta sunt indicium temporis, quo scriptum sit, continet, neque ullo modo certe et accurate definiri potest, quamdiu Catullus Lesbiam amaverit. Omnia, quae hac de re a multis computata et tradita sunt, nullo firmo et stabili fundamento nituntur.

Vanis conjecturis multi et Schwabius et Helbigius et Jungclausenus Catulli amoris tempus accurate definire studuerunt, sed hoc non facere potuerunt, nisi persaepe id facerent, quod per totam disputationem se facere palam Schwabius professus est, hoc est, nisi probandum probatum esse ponerent. Apud omnes iter Catulli in Bithyniam certum temporis punctum est, e quo reliqua omnia computantur. Quamdiu Catullus Clodiam amaverit, sibi intelligere posse videntur e numero periodorum, in quas historiam Catulliani amoris dividunt: amor modo natus, rixa, reconciliatio, repudium. At quis quaeso, tam infirmis nixus fundamentis quidquam certi de re hucusque incerta scire aut docere poterit?

Probare studuerunt et sibi visi sunt Viri Doctissimi, quorum opiniones laudavimus, Lesbiam, quam Catullus amavit fuisse Clodiam Quadrantariam. At quid fecerunt? Depinxerunt imaginem, quam sibi Catulli efformasent amoris; nullum argumentum attulerunt, quo opinio, quam peperit Apuleji testimonium, firmaretur. Si demonstratum esset sub Lesbiae nomine personam Clodiae latere, id, quod Jungclausenus, Helbigius et Schwabius fecerunt, probaret eandem rem variis modis bene fieri posse. Sed quum nihil novi attulerint, quo opinionem firmarent, ego

jure meo contendere posse videor de Lesbia, quae fuerit, nihil constare. Quid enim ei commune est cum Clodia? Nupta jam fuit Lesbia, quum apud eam amor erga Catullum natus est. Nupta jam Clodia non cum uno tantum viro exercuit amores. Lesbia amata est a Caelio, a Rufo. Clodia diu arcte cum M. Caelio Rufo conjuncta fuit. Utrum Caelius et Rufus, de quibus apud Catullum legitur eundem indicent virum, necne, sciri non potest. Carmina in quibus de iis agitur nihil certi hac de re probant, nec aliunde quidquam de ea certi demonstrari posse opinor.

Si omnes intelligerent quaedam esse, quae sciri non possunt et longe praestare ea ignorare, quam cujuscunque generis commenta excogitare, ut opinio aliquando mente concepta, confirmetur et probetur, non tam unanimi fere consensu Viri Docti praedicavissent, opinor, se scire, se lucido confirmare posse Lesbiam eandem esse ac Clodiam. Multa enim sunt, quae historiam Catulli amoris, quam satis lepide, non diffiteor, illi Viri scripserunt, fictam, non veram esse probent. Primum quidem, si aetatem Catulli et Clodiae respiciamus, eam natam esse anno 95 aut 94, septem igitur annis ante Catullum reperiemus. Quod quamquam per se rem non dirimit, quia cum Caelio quoque, Catullo quinque annis minore, amore conjuncta fuerit, tamen hac in re non nullius momenti esse existimo. Catullus enim de Lesbia semper ita dicit, ut admodum juvenis fuerit, necesse sit. Quae carmine 86 leguntur:

"Quintia formosa est multis, mihi candida, longa,
"Recta est. Haec ego sic singula confiteor.
"Totum illud formosa nego: nam nulla venustas,
"Nulla in tam magno est corpore mica salis.

"Lesbia formosa est, quae cum pulcherrima totast,
"Tum omnibus una omnes surripuit Veneres.",

non a viro viginti et quinque annorum ad mulierem triginta annis majorem scribuntur. Praeterea hoc quoque, quod Catullus

"non ut vulgus amicam,
"Sed *pater* ut *gnatos* diligit et *generos*.",

se Lesbiam amavisse profitetur, indicare videtur eam natu minorem, non majorem Catullo fuisse.

Sed haec omnia minoris sunt momenti, neque ea nimis urgeo, quae in carmine 68, vs. 142 leguntur:

"ingratum tremuli tolle parentis onus",

quae ad Clodiam certe non pertinere possent, quod ejus pater jam anno 76 mortuus est. Sed in toto hoc carmine Lesbiae nomen non legitur, ita ut ad eam pertinere non certo constet, et praeterea locus tam corruptus est, ut quid illa verba sibi velint, non satis appareat.

At duo sunt, quae rem me judice conficiunt:

1°. Clodia nupta fuit viro integerrimo et gravissimo Q. Metello Celeri, quem P. Clodii consiliis, qui ad plebem transire vellet, strenue adversatum esse constat. At Lesbiae maritus non talis fuit, qualis Metellus. Numquam enim Catullus Metellum *mulum* dicere ausus esset, quo nomine carmine 83 Lesbiae maritum indicavit:

"Lesbia mi praesente viro mala plurima dicit,
"Hoc illi *fatuo* maxima laetitiast.
"*Mule*, nihil sentis. Si nostri oblita taceret,
"Sana esset: nunc quod gannit et obloquitur
"Non solum meminit, sed quae multo acrior est res
"Irata est: hoc est uritur et coquitur".

2°. Alterum argumentum quod iis, qui Clodiam ac Lesbiam eandam esse censent obversatur, hoc est: ineunte anno 56 Catullus e Bithynia in Italiam rediit, quum "ver egelidos "referret tepores". Tunc de Ciceronis oratione pro Caelio audivit, quam hic eodem fere tempore habuit. Unanimi consensu Schwabius, Helbigius, Jungclausenus fatentur post eam orationem Catullum prorsus Clodiam amare desiisse, et qui semel eam legerit, non dubito, quin hac in re omnino cum iis faciat. At tamen carmen 11, in quo Catullus, ut Lesbiae pauca non bona dicta nuntient, Furio et Aurelio imperat, ob "monumenta magni Caesaris", ob "Gallicum Rhenum", ob "ultimos Brittannos" non potest scriptum esse ante aestatem anni 55, satis diu igitur postquam de Ciceronis oratione poeta audivit. Equidem numquam credam per annum et dimidium poetam postquam illa famosa et nefaria mulier omnium contemtui tradita esset, quodammodo saltem cum ea conjunctam fuisse. Carmine enim 11 repudium demum a poeta Lesbiae remittitur: cum suis vivere valereque moechis eam jubet, quos simul complexos trecentos tenet nec, sic absolvit,

"nec meum respectet, ut ante amorem,
"qui illius culpa cecidit, velut prati
"ultimi flos, praetereunte postquam
"tactus aratro est."

Moesti et queruli illi versus recentem testantur dolorem, neque scripti sunt postquam poeta primum ad dolorem leniendum iter in Bithyniam susceperat et deinde per satis longum tempus in Italiam reversus Romae aut Veronae degerat.

Sed ut ad ea redeamus, quae supra jam diximus: a

nullo antiquo scriptore traditum est Lesbiam fuisse Clodiam *Quadrantariam.* Solus Apulejus eam solo *Clodiae* nomine appellavit. Qui tamen fontem non addidit, e quo hanc notitiam hauserit. Quare paullo diffidenter Apuleji testimonium accipere necesse erit. Fieri enim potuit, ut, quia sciebat Caelium amasse et postea odisse Clodiam, quod idem in Catullo et Lesbia factum est, ea finxerit, quae hac de re tradidit. Sed ne vanas ipsi conjecturas fingamus, ut jure nostro de Clodia illa nos dubitare probemus.

Quod satis apparere opinamur ex iis, quae supra diximus, nullo aequalium testimonio (et complures aequales de Lesbia scripserunt) argumentum aliquod afferri, quo indicetur, famosam illam Clodiam eandem esse atque Lesbiam, quam Catullus tantum amavit, quantum nulla mulier umquam amata est. Quod in muliere, cujus nomen omnium contemtui traditum erat et in ora vulgi pervenerat certe factum fuisse mihi persuasum est, praesertim, quia Catullus quoque laude et gloria inter aequales non caruit.

At, ut ad Apuleji testimonium iterum redeamus, is dicit Lesbiae nomine Clodiam significatam esse, non tamen addit, hanc fuisse illam nefariam mulierem, de qua Cicero semper errare solebat, quum ejus nomen cum fratris conjungeret [1]. Plures certe fuere Clodiae, tres fuisse famosi Clodii sorores constat, quas omnes constuprasse dicitur: famosae igitur erant aeque hujus gentis mulieres atque tribunus plebis ille sceleratissimus. Sed praeter has aliae fortasse fuere Clodiae, quarum fama ad nos non pervenit, nisi in basiorum tot millibus, quae Catullus uni alterive earum dederit.

[1] Cic., pro Caelio 13, 32.

Utut est, nihil certi hac in re affirmari posse satis apparet. Qui novi aliquid sibi invenisse videbantur, methodo usi sunt, quae facile admodum a vero abducit. Non id errorem arcet, si probandum ponas probatum esse, sed si demonstres nihil aliud verum esse posse, nisi id unum, quod probare studes.

Hac in re *nihil* probari potest. Desunt enim testes et desunt argumenta, quae in locum testium substituantur. Sed haec hactenus.

THESES.

THESES.

I.

In Thucyd. I, c. 131, in fine delenda sunt verba: *ἔξεστι δὲ τοῖς ἐφόροις τὸν βασιλέα δρᾶσαι τοῦτο.*

II.

In Lysiae Or. XII, § 36: *οὐκ οὖν δεινὸν εἰ τοὺς μὲν στρατηγούς, οἳ ἐνίκων ναυμαχοῦντες, [ὅτε διὰ χειμῶνα οὐχ οἷοί τ' ἔφασαν εἶναι, τοὺς ἐκ τῆς θαλάττης ἀνελέσθαι] θανάτῳ ἐζημιώσατε ἡγούμενοι χρῆναι τῇ τῶν τεθνεώτων ἀρετῇ παρ' ἐκείνων δίκην λαβεῖν*, verba, quae uncis inclusimus delenda sunt.

III.

Ibid. § 51: *ὁπότεροι ταῦτα πράξουσι καὶ τῆς πόλεως ἄρξουσι*, sublato glossemate legendum: *ὁπότεροι τὰ τῆς πόλεως πράξουσι.*

IV.

Ibid. § 77: *πολλὰς πίστεις αὐτὸς ἔργῳ δεδωκὼς καὶ παρ' ἐκείνων ὅρκους εἰληφώς*, dele *ὅρκους*.

V.

In ejusdem oratione XXIV § 27: ἐγὼ δὲ τούτων ὑμῶν τυχὼν ἕξω τὴν χάριν, inter τυχὼν et ἕξω intersere ἀξίαν.

VI.

In ejusdem oratione XXV, § 20: ἃ πάσχοντες ἄδικα ἐνομίζετε πάσχειν dele πάσχειν.

VII.

In ejusdem oratione, XXVI, § 9 pro ἡ δημοκρατία lege ἡ πολιτεία et dele in sequentibus τῇ πολιτείᾳ.

VIII.

In ejusdem oratione XXVIII, § 11 deleatur καί ante μήτε κέρδος.

IX.

In ejusdem oratione XXX, § 3: εἰς τοῦτο δὲ κατέστημεν ὥστε ἐκ τῆς τούτου χειρὸς τεταμιεύμεθα τοὺς νόμους, pro τεταμιεύμεθα legatur τότ' ἐταμιευόμεθα.

X.

Ibid. § 10. βουλεύων ἔπεισε τὴν βουλήν, dele βουλεύων.

XI.

Ibid. § 19: ὅστις ἀξιῶ πρῶτον μὲν κατὰ τὰ πάτρια θύειν deleatur praepositio κατά.

XII.

Ibid. § 25: οὗτοι δ' ἐπὶ τῇ τῶν νόμων ἀναγραφῇ καὶ τῶν ἱερῶν δῶρα λαμβάνοντες, dele καὶ τῶν ἱερῶν.

XIII.

Ibid. § 35: *ἡμεῖς μὲν τοίνυν οὐκ ἠθελήσαμεν ὑπὸ τούτων ἀξιούμενοι πεισθῆναι*, lege *οὐχ ὑπὸ τούτων ἠξιοῦμεν πεισθῆναι.*

XIV.

In ejusdem or. XXXII § 1 deleantur verba: *πολλῶν χρημάτων ἀπεστέρηνται καί.*

XV.

Ibid. § 5: *Χρόνῳ δὲ ὕστερον καταλεγεὶς Διόδοτος μετὰ Θρασύλλου τοῦ ἐπὶ τῶν ὁπλιτῶν*, deleantur verba *μετὰ Θρασύλλου τοῦ ἐπί* quorum duo ultima non reperiuntur in codd. Italis.

XVI.

Ibid. § 12: pro *περὶ τῶν πραγμάτων* legatur *περὶ τῶν χρημάτων.*

XVII.

Ibid. § 13: *καὶ τούτους καὶ τοὺς ὕστερον ἐμαυτῇ γενομένους ὀμόσαι ὅπου ἂν αὐτὸς λέγῃς*, pro *λέγῃς* restituatur *κελεύῃς.*

XVIII.

Ibid. § 21 ita legendum esse videtur: *τὸ* [*μὲν*] *ἥμισυ ὧν* (cod. *αὐτῶν*) *τίθησι* [*τὸ δὲ* deest in codd.] *τούτοις λελόγισται.*

XIX.

Ibid. § 29: *οὐθ' ὑπὸ τῶν λῃστῶν ἀπολωλεκὼς οὔτε ζημίαν εἰληφώς* deleantur verba *ἀπολωλεκὼς οὔτε.*

XX.

In Catulli c. CX, vs. 4 pro "*saepe*" restituatur "*turpe*".

XXI.

Catullum sub Mentulae nomine Mamurram carpsisse, admodum versimile est.

XXII.

Volusius, quem c. XXXVI irrisit Catullus non est idem, atque Tanusius Geminus.

XXIII.

Codex Catullianorum carminum archetypus Veronensis non eam habuit formam, quam excogitavit Lachmannus.

XXIV.

Carmen Catullianum XXIX puris iambis fuisse conscriptum, et Lachmannum et Hauptium jure id egisse, ut emendationibus suis hanc formam restituere conarentur contra Froehlichium (Münch. Gel. Anz., 1846, n°. 131) contendo.

XXV.

Jure a recentioribus editoribus carmen Catullianum 68 in duas disjungitur partes.

XXVI.

Injuria utramque hujus carminis partem a Catullo Gruppius (Minos, p. 503, sqq.) abjudicavit.

XXVII.

Versus 14 carminis LXII Catulliani in solo codice Thuaneo asservatus, minime a poeta abjudicandus est.

XXVIII.

Quae Schwabius in concilio Philologorum anni 1863 de codicibus Catullianorum carminum disputavit (cff. Jahnii Ann.

Phil. et Paed. Vol. 89 et 90 (1864) Pars II, p. 90) non probant codicem San-Germanensem antiquissimum esse codicis Veronensis apographon.

XXIX.

Admodum verisimile est carmen Catullianum LXII amoebeum ita inter puellas et juvenes esse distribuendum, ut proposuit Gothofredus Hermannus (Jahnii Annales (1838) vol 22, p. 309):

j. p. J. p. j. p. j. p. j. J
5 5 9 6 6 n n 11 11 9

(Littera uncialis J duas carminis partes, Prooden et Epoden a solis juvenibus, non respondentibus puellis cantatas fuisse indicat.)

XXX.

Zeer juist is de opmerking, die wij lezen in "Memoiren eines Legitimisten von 1770—1830, aus dem Nachlasse des Marquis Henri Gaston de B..., herausgegeben von Julius von Wickede, III, 230: "Ein Herrscher Frankreichs musz stets ein Soldat sein und vor der Front seiner Regimente dahinspringen können; — vermag er dies nicht, so wird seine Herrschaft nur schwankend sein".

XXXI.

Evenzeer is het juist, wat door denzelfden schrijver gezegd wordt t. a. p., p. 344. "Wer aber über Frankreich herrschen will, der musz vor Allem ein tüchtiges, anhängliches Heer zu seiner unbedingten Verfügung haben, denn dies ist das Einzige, was ihm in diesem gänzlich zerrütteten Lande eine feste Stütze gewähren kann".

XXXII.

Minder juist is de meening van hen, die van oordeel zijn, dat het spreekwoord: "de geschiedenis is de leermeesteres des levens" eene onwaarheid bevat.

XXXIII.

Onjuist is de bewering van Busken Huet (Toespraken, n°. 11, p. 31): "Ons nationaal gevoel koncentreert zich in eene wel zeer redelijke en zeer natuurlijke liefde voor het Huis van Oranje, doch die zoo naauw te zamen hangt met de woeste hartstogten van het bezinksel onzer natie, dat vele weldenkenden een Oranjefeest, als eene nationale bezoeking aanmerken".

XXXIV.

Gezette studie der mathesis is voor eene grondige beoefening der bespiegelende wijsbegeerte onmisbaar.

XXXV.

Zeer juist zijn de door Naber aangehaalde woorden van Thaulow (Gids, Mei 1864, p. 243): "De arbeid is ons heilig, maar als een knaap zijne jaren op een gymnasium doorbragt, waar hij niet rijkelijk tijd en plaats vond voor alle jongensspelen, ligchaamsoefeningen en al die wilde levensuitingen, die aan zijne jaren eigen zijn, dan heeft men zich zwaar aan hem bezondigd".

XXXVI.

Behartiging verdienen de woorden van denzelfden (t. a. p., p. 253): "Als het onderwijs geene vruchten draagt, moet de onderwijzer in de eerste plaats aan zich zelven denken en zeggen, *nos*, *nos dico desumus*".

ERRATUM.

p. 1 r. 6, pro Josephum Scaliger
lege: Josephum Scaligerum.

